



1-1-1968

## Constitutions Proposed Latin: 1968

---

### Recommended Citation

"Constitutions Proposed Latin: 1968" (1968). *Constitutions and Rules*. Paper 30.  
[http://via.library.depaul.edu/cm\\_construles/30](http://via.library.depaul.edu/cm_construles/30)

This Article is brought to you for free and open access by the Official Documents at Via Sapientiae. It has been accepted for inclusion in *Constitutions and Rules* by an authorized administrator of Via Sapientiae. For more information, please contact [mbernal2@depaul.edu](mailto:mbernal2@depaul.edu).

SCHEMATA  
CONSTITUTIONUM  
AC  
STATUTORUM  
CONGREGATIONIS MISSIONIS

APUD CURIAM GENERALITIAM

Romae - die 25 ianuarii - 1968

CONGREGATIO MISSIONIS  
CURIA GENERALITIA

*Romae, die 25 mensis ianuarii 1968.*

*Reverendissimi Domini et Carissimi Confratres,  
Gratia Domini Nostri Iesu Christi sit semper nobiscum!*

*Commissio specialis, a Nobis convocata ad curandum schematum redactionem novarum Constitutionum et Statutorum, opus suum, quod die 4 mensis octobris coeperat, demum perfecit*

*Decem Confratres, ex variis Provinciis cooptati, assidue et impense incubuerunt ad munus sibi commissum exsequendum. Ipsis, iam in suam patriam reversis, significare volumus nostrum gratum animum, necnon memorem totius Congregationis mentem*

*Textus exaratus, typis exscriptus, ad singulos Confratres mittitur, ut unusquisque primum privatim illum perspicere, excutere ac recensere possit; deinde ad Conventus suas emendationes et suasiones deferre valeat. Nam agitur tantum de adiumento a Commissione proposito ad favendum considerationi, studio et discussioni in Conventibus libertate cuique data afferendi nova commenta et alias propositiones.*

*Omnes Confratres enixe adhortamur in Domino ut, spiritu Sancti Institutoris ferventes et de Congregationis accommodata renovatione solliciti, ad praeparandum Conventum generalem extraordinarium suam promptam atque sollertem praestent operam.*

*Quod nostris est in votis Deus Omnipotens benigne prosequatur et ad optatum finem feliciter adducat.*

*Vobis omnibus et universae Congregationis Provinciis, domibus atque operibus cuncta bona et fausta percipiens, me addictissimum confirmo*

GULIELMUM M. SLATTERY, C. M.  
Superiorem Generalem

## PROOEMIUM

Mandatum, quod a Reverendissimo Domino Superiore Generali accepimus, ut Schemata redigeremus novarum Constitutionum ac Statutorum ad studium et discussionem Conventuum proponenda, post quattuor fere menses tandem absolvimus.

In nostro munere explendo, semper conati sumus--quantum potuimus--omnia, saltem substantialiter, desumere ex PLACITIS exaratis a praecedentibus Coetibus, qui aestivo tempore anni 1967, Romae laboraverunt. At postea, prae oculis habentes Provinciarum responsiones ad *Quaestionum Elenchum* a nobis missum, aliquoties recessimus ab opinionibus vel sententiis expressis in iisdem Placitis.

Eo autem fine egimus ut, pro nostra tenuitate, libentem praeberemus cooperationem efficaci renovationi et rectae accommodationi Congregationis nostrae iuxta mentem Concilii Vaticani II. Eiusdem enim Concilii documenta, simul cum Sacra Scriptura atque Regulis Communibus et scriptis Sancti Institutoris, tamquam praecipuos fontes adhibuimus, attentis etiam sanis traditionibus nostris necnon Constitutionibus Decretisque adhuc vigentibus.

Sperare audemus ut schemata a nobis proposita omnium Confratrum expectationi aliquo modo respondere possint; quod tamen certo scimus in Conventibus corrigenda, emendanda et excolenda esse.

Iuxta normas in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* latas, in Constitutiones conferre studuimus principia fundamentalia et constantia, dum ad Statuta remisimus quae facilius mutationibus obnoxia sunt; illa sine licentia Sanctae Sedis mutari nequeunt, haec vero a Conventu generali emendari vel abrogari possunt.

Deum, qui rebus omnibus praeest, in vota vocamus, ut nostris inceptis faveat et Congregationem nostram, in primigenio Sancti Vincentii spiritu apta renovatione roboratam, ad suum finem in Ecclesia atque in mundo hodierno prosequendum dirigat pro evangelizatione pauperum.

Datum Romae, die 21 mensis ianuarii 1968.

## COMPENDIORUM AC SIGLORUM TABULA

- AA..... : **Apostolicam actuositatem**, Decr. de Apostolatu laicorum.
- AACM..... : Acta Apostolica, Bullae, Brevia et Rescripta in gratiam Congregationis Missionis, Parisiis, 1876.
- AAS..... : Acta Apostolicae Sedis.
- AG..... : **Ad Gentes divinitus**, Decret. de activitate miss. Ecclesiae.
- Art..... : Articuli Constitutionum Congregationis Missionis, 1954.
- Can..... : Codex Iuris canonici.
- CCD..... : Collectio Completa Decretorum Conventuum Generalium Congregationis Missionis, Lutetiae Parisiorum, 1882.
- CD..... : **Christus Dominus**, Decr. de pastoralis Episcoporum munere.
- COSTE..... : **Saint Vincent de Paul**: Correspondance, Entretiens, Documents, 14 vol., Paris, 1920-1925.
- DCG..... : Decreta Conventuum Gen. in C. M. vigentium, Romae, 1964.
- DV..... : **Dei Verbum**, Constitutio Dogmatica de Divina Revelatione.
- ES..... : **Ecclesiae Sanctae**, Litt Apost. M. P. quibus normae ad quaedam SS. Concilii Vaticani II Decreta statuuntur.
- GE..... : **Gravissimum educationis**, Declaratio de Educat. Christiana.
- GS..... : **Gaudium et spes**, Constitutio pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis.
- IM..... : **Inter mirifica**, Decretum de Instrumentis Communicationis socialis.
- Ius Part..... : Ius Particulare Congregationis Missionis, Romae, 1966.
- LG..... : **Lumen gentium**, Constitutio dogmatica de Ecclesia.
- Litt. Circ..... : Recueil des principales Circulaires des Supérieurs Généraux de la C. M., 3 vol., Paris, 1877, 1879, 1880.
- OSG..... : Ordinationes RR. DD. Superioris Generalis. Cf. DCG p. 20-24.
- OT..... : **Optatam totius**, Decretum de Institutione sacerdotali.
- PC..... : **Perfectae Caritatis**, Decretum de accommodata renovatione vitae religiosae.
- PO..... : **Presbyterorum Ordinis**, Decretum de Presbyterorum ministerio et vita.
- Reg. Secr. Gen.; Reg. Oec. Gen.; Reg. Vicevisit.; Reg. Cons. Prov.; etc..... : Regulae Officiorum Congregationis Missionis, Romae, 1966.
- Reg. Com.... : Regulae Communes Congregationis Missionis.
- SC..... : **Sacrosanctum Concilium**, Constitutio de Sacra Liturgia.
- UR..... : **Unitatis redintegratio**, Decretum de Oecumenismo.

**N. B.: Citationes textui appositae, diversa documenta respiciunt, vel quoad verba, vel quoad sensum tantum.**

# **Constitutiones**

## **Congregationis Missionis**

## PARS PRIMA

### **De Congregatione Missionis in Ecclesia**

#### **(Participatio Congregationis Missionis Salvificae Missionis Ecclesiae)**

1. Evangelizare pauperibus (1) eosque per paschale suum mysterium in libertatem gloriae filiorum Dei vocare (2) venit Christus, missus a Patre, unctus Spiritu Sancto. Reversurus autem ad Patrem, Ecclesiam constituit universale salutis sacramentum (3), quae cum natura sua sit missionaria (4), Evangelium omnibus hominibus praedicat, praesertim vero pauperibus, in quibus Christo inservire intendit (5).

Ad participandam hanc missionem evangelizationis quae, vocatione, totius Populi Dei est propria, Ecclesia eos peculiari ratione invitat, qui professione consiliorum evangelicorum Deo se devoteant, ut vitae sanctitate atque actuositate apostolica operi ministerii in aedificationem Corporis Christi (6) sedulo incumbant (7).

Huic vocationi aedificandi Corpus Christi in mundo Congregatio Missionis respondet, pro sua parte, charisma S.Fundatoris proseguendo, legibus et spiritu ab ipso sibi traditis.

- 1 Lc 4, 18.
- 2 Rm 8, 21.
- 3 LG 48.
- 4 AG 2.
- 5 LG 8.
- 6 Eph 4, 12
- 7 PC 1.

### **(De Natura Congregationis Missionis)**

2. Congregatio Missionis, per S. Vincentium in Ecclesia suscitata, est clericalis societas in qua clerici et fratres, divinae vocationi respondentes et in una communione conviventes, perfectam caritatem per consiliorum evangelicorum professionem prosequuntur, seipsos Dei famulatu et saluti hominum, praesertim pauperum, devovendo.

Et quamvis Congregatio, per consiliorum evangelicorum professionem et per stabilem in communi vivendi formam in statu Deo consecrato constituatur (1) propria tamen indole saeculari gaudet (2), iuxta traditionem ab eiusdem S. Fundatore promanantem. Congregatio autem, quae Episcoporum iurisdictione eximitur solique S. Sedi subiecta manet (3), apostolatam suum exercet in intima cooperatione cum Episcopis (4) et Clero dioecetano.

### **(De Fine Congregationis Missionis )**

3. Congregationis Missionis finis est glorificatio Patris per continuationem missionis Filii, quae potissimum in pauperum evangelizatione consistit (5).

Hunc finem Congregatio assequitur salutem pauperum, eorum praesertim qui spiritualiter magis derelinquuntur, actione sua missionaria procurando et clericos adiuvando ad scientias virtutesque acquirendas (6).

Menti Sancti Vincentii adhaerendo, Congregatio pauperes illos homines habet qui in conditionibus minus humanis versantur ex motivis sive oeconomicis, sive culturalibus sive socialibus (7), ratione habita rerum adiunctorum in diversis locis et temporibus praevalentium.

1 LG 45, 3.

2 ALEXANDER VII, Ex Commissa Nobis, 22 Sept. 1655; ALEXANDER VII, Alias Nos supplicationibus, 12 aug. 1659; Plus IX, Religiosas familias, 13 maii 1859; AACM, pp. 16s, 23s, 201s.

3 URBANUS VIII, Salvatoris Nostri, 13 ian. 1633; ALEXANDER VII, Ex Commissa Nobis, 22 sept. 1655; AACM, pp. 5, 17; art. 1 Const.

4 CD 35; Reg. Com., 5, 1.

5 Reg. Com., Epistola S. Vincentii; Lc 4, 18; GS 3; PO 6.

6 Reg. Com., 1, 1.

7 GS 63.



### **(De Ministeriis Congregationis Missionis)**

4. In luce huius finis Congregatio sedulo contendet sua opera apostolica exercere, ea praesertim quae ab ipso S. Fundatore sibi sunt tradita vel ex iis decursu temporum emanata. Nova tamen ministeria novaque caritatis opera semper suscipiet quae, temporum aut locorum condicionibus, attenta utilitate universalis Ecclesiae et dioecesium, magis opportuna videantur, dummodo suo spiritui et germanae indoli sint consentanea (1).

### **(De Spiritu Congregationis Missionis)**

5. Congregatio Missionis suum proprium spiritum, ut participationem quamdam ipsius Spiritus Christi in Ecclesia indesinenter operantis (2), ac veluti continuatum charismatis sui Fundatoris praesentiam (3), maxima semper veneratione colet, illum considerans tamquam peculiarem haereditatem a S. Vicentio ipsi Congregationi concreditam.

Ideo omnes sodales necnon tota Congregatio illius spiritus profundiori semper cognitioni studebunt illumque magis in dies induere totis viribus conabuntur (4), ad Evangelium veluti ad fontes vitae christianae et ad doctrinam et exempla B. Vincentii perpetuo redeuntes (5).

1 PC 20.

2 LG 43, a; 44; 45, a; Coste, XII, p. 107 SS.

3 PC 2, b.

4 Reg. Com.; Epistola Introductoria, et c. 1, 3.

5 PC 2.

## PARS SECUNDA

### **De vita consecrata in Congregatione Missionis**

#### **De Vocatione ad Sanctitatem**

6. Cum in sancta Ecclesia, omnes christifideles vocati sint ad sanctitatem (1) iuxta verba Domini: «Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est» (2), et unicuique onus incumbat per perfectionem vitae testimonium dare bonorum spiritualium (3), Congregatio Missionis, ut societas charismatica ab Ecclesia approbata, suis membris securam vult praebere viam ad sanctitatem assequendam, et mundo testimonium etiam collectivum afferre sanctitatis Ecclesiae et adventus Regni (4).

7. Haec autem sanctitas, ad quam omnes vocati sunt, est caritas perfecta, quae merito quasi compendium totius vitae christianae habetur (5); qui enim diligit deum custodit mandata eius (6). Sodales ergo, ut fideles filii Sancti Vincentii, cooperantes gratiae Dei, omnes vires ab Eo acceptas adhibeant, ut Christi vestigia sequentes (7) eiusque imagini conformes effecti (8), voluntati Patris oboedientes, gloriae Dei et servitio proximi toto animo sese devoveant (9).

1 LG 39; Coste, XII, 73.

2 Mt 5, 48; LG 40.

3 Mt 5, 16.

4 LG 39; PC 1; Coste, XII, 73.

5 Mt 2 2, 37-40; LG 40; Coste, XII, 73.

6 1 Jo 5, 3.

7 1 Pe 2, 21.

8 Rm 8, 29.

9 LG 40; Coste, XII, 94; X, 242.

8. Illa caritas est donum Dei, diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis (1), et Ipse Spiritus amoris, qui habitat in regeneratis, eos impellit ad diligendum Deum et omnia quae Ipse diligit (2), et ad manifestandam dilectionem, non tantum verbo et lingua, sed opere et veritate (3), ut per opera amoris caritas crescat et fructificet. Tota ergo vita sodalium, individualis et communis, spiritualis et apostolica, procedat a caritate, augeat caritatem et perducatur ad maiorem unionem cum Deo.

9. Sanctitas in Ecclesia speciali modo fovetur multiplicibus consiliis, quae Dominus in Evangelio discipulis suis observanda proponit et exemplo suo firmat, inter quae eminent consilia castitatis Deo dicatae, paupertatis et oboedientiae, quae constanter ab Ecclesia ut donum divinum agnoscuntur et servantur (4).

Iuxta doctrinam Sancti Vincentii, sodales Congregationis Missionis eadem consilia fideliter et perpetuo servabunt, ita ut in missione Christi prosequenda iisdem armis utantur, quibus ista Sapientia aeterna tam feliciter tamque utiliter usa est (5).

### **De professione consiliorum evangelicorum**

10. Professione consiliorum evangelicorum, iuxta primigenium usum ab ipso S. Fundatore inventum (6) et ab Ecclesia approbatum (7), omnis sodalis Deo summe dilecto in se et in fratribus totaliter mancipatur novo et peculiari titulo, baptismi exigentias plene evolvente, ita ut habeatur peculiaris quaedam consecratio, quae in baptismatis consecratione intime radicitur eamque plenius exprimit (8).

Qui vult perfectus esse, non solum diabolo eiusque operibus et pompis renuntiat in baptisate, sed professionem castitatis, paupertatis et oboedientiae emittendo, omnia bona sua Deo offert, renuntians divitiis, voluptatibus et honoribus; et etiam seipsum in holocaustum

1 Rm 5, 5.

2 LG 40.

3 1 Jo 3, 18.

4 LG 42; Coste, XII, 377, 424.

5 Reg. Com. II, 18.

6 Reg. Com., Epist. introd. S. Vincentii.

7 Breve Ex Commissa Nobis, 22 sept. 1655.

8 LG 44; PC 5; Coste, XII, 365.

perfectum offert, iudicium et voluntatem propriam Deo sanctificans. Ita Deus donum nobis dedit ut Ipsi consecrati simus ad Missionem Filii sui prosequendam (1).

11. Cum ideo evangelica consilia suos assecclas, per caritatem ad quam ducunt, Ecclesiae eiusque Mystero speciali modo coniungant, spiritualis sodalium vita bono quoque totius Ecclesiae devoveatur oportet et specialissima erga ipsam dilectione, ut erga Ipsum Christum in se et in suis membris imbuatur (2).

12. Consiliorum observantia praeterea, iam ex seipsa, apostolatus formam constituit, tamquam signum efficax erga Ecclesiam omnem et homines universos (3). Cunctis enim hominibus, sive fidelibus sive infidelibus, supereminenter magnitudinem virtutis Christi regnantis atque infinitam Spiritus Sancti potentiam demonstrat. Populo vero Dei continuo manifestat praeeminentem valorem bonorum caelestium, vitam novam in Christo, et etiam illi praenuntiat resurrectionem futuram et gloriam regni (4).

Forma quoque vitae, a Filio Dei accepta, qui virgo et pauper (5) per oboedientiam usque ad mortem crucis (6) homines redemit et sanctificavit, pressius imitata in Ecclesia continue praesentatur (7).

13. Ita per consiliorum professionem in Congregatione, quae ad salutem pauperum instituta est, sodales totaliter et irrevocabiliter se offerunt Patri, ad missionem salvificam et quasi ipsam Personam Christi continuandam sub ductu Spiritus Sancti (8).

Exinde oritur in singulis sodalibus et in tota Congregatione officium pro viribus, secundum propriam Instituti indolem, tum oratione tum actuosa opera laborandi ad Regnum Christi in animis radicandum et roborandum illudque ad omnes mundi plagas dilatandum (9).

1 Coste, XII, 365.

2 LG 44; Coste, XI, 40.

3 LG 44; Coste, XI, 1.

4 LG 44.

5 Mt 8, 20; Lc 9, 58.

6 Ph 2, 8; Reg. Com., II, 18.

7 PS 1; LG 44.

8 Reg. Com., II, 18; Coste, XI, 107.

9 LG 44; Coste, XI, 74.

## **De Professione in Congregatione Missionis**

14. Congregatio Missionis est status consecrationis ab Ecclesia sancitus, in qua professio consiliorum evangelicorum fit votis castitatis, paupertatis et oboedientiae, quibus accedit votum servitii pauperum. Haec tamen vota, ad normam iuris particularis in Congregatione emissa, nemo acceptat nomine sive Ecclesiae sive ipsius Congregationis, quamvis emittantur praesente Superiore vel eius delegato; et per ea sodales definitive vinculantur Congregationi Missionis (1).

15. Professio temporaria consiliorum evangelicarum et servitii pauperum in Congregatione, singulis annis renovanda, fit saltem per triennium.

16. Duratio temporariae professionis post triennium decernatur a Visitatore de consulto Moderatorum ad normam Statutorum.

17. § 1. Ad validitatem cuiuscumque professionis in Congregatione requiritur quad admissio ad eam fiat a legitimo superiore, iuxta Congregationis Statuta; et quod eiusdem emissio fiat expresse et libere, sine vi aut metu gravi aut dolo.

§ 2. Ad validitatem insuper primae professionis requiritur ut qui eam emissurus est Seminarium Internum per unum saltem annum perfecerit; professionis vero perpetuae, ut qui eam emissurus est perfecerit saltem tres annos in professione temporaria et vigesimum primum aetatis annum expleverit.

## **De castitate**

18. Castitas perfecta ab omnibus sodalibus aestimanda est tanquam eximium gratiae divinae donum a Patre nobis datum. Ideo humiliter et enixe universa Congregatio pro omnibus et singulis illam precibus expetat (2).

Sequentes exemplum tum ipsius Christi magistri tum eius intactae Virginis Matris, sodales cum aliis tam multis in Ecclesia sanctis, castitatem propter regnum coelorum fortiter profiteantur (3).

19. Omnes prae oculis habeant mysteria quae in hac castitate significantur atque adimplentur (4). Castitas enim est

1 AACM p. 16, 17, 23, 38, 141; CCD 328.

2 PC 12; Reg. Com., IV, 1.

3 PC 12; LG 42; PO 16.

4 PC 16.

quaedam participatio mysterii paschalis, in quantum est mysterium mortis et vitae.

Attentis humanae naturae inclinationibus, castitas secumfert quandam renuntiationem affectivam et solitudinem cordis, quae partem efficiunt crucis a Iesu oblatae nobis in eius sequela, nosque intime consociant eius morti pro salute hominum.

Exinde autem surgit vita plenior et fecundior. Est enim ad hoc ordinata castitas ut unusquisque facilius indiviso corde Deo soli et proximorum saluti se devoveat; est signum et stimulum caritatis ac peculiaris fons spiritualis fecunditatis in mundo (1).

Ita fiet ut coram hominibus, mirabile illud evocetur connubium a Deo conditum, in mysterio paschali sancitum, et in futuro saeculo plene manifestandum, quo Ecclesia unicum sponsum Christum habet (2).

20. Cum vinculum castitatis perfectae sit etiam quaedam species spiritualis coniugii, Christum inter et animam (3), ad unitatem cum Christo efformandam sodales ante omnia necesse est veram amicitiam familiaremque consuetudinem cum illo fovere.

Tunc amor noster erga homines vere fit caritas Ipsi Christi, et tota nostra agendi ratio, laeta et benevola, sensum consecrationis nostrae illis manifestum facit (4).

21. Ut autem id assequi valeant sodales cunctis subsidiis sive supernaturalibus sive naturalibus utantur: verbis Domini credant et, Dei auxilio confisi, de propriis viribus ne praesumant; normas asceticas, quae ab experientia Ecclesiae et Sancti Fundatoris probantur, et quae in mundo hodierno haud minus necessariae sunt, sequi ne omittant. Media quoque naturalia adhibeant, quae mentis et corporis sanitatem fovent (5).

22. Meminerint insuper omnes, Superiores praesertim, castitatem securius servari, cum viget inter sodales vera dilectio fraterna in vita communi. (6).

1 Co 7, 32-34; LG 42; PC 12.

2 PC 12.

3 Enc. Sacra Virginitas, 14.

4 Ioannes XXIII, Ep. ad Relig., 2 iul. 1962.

5 PC 12; LG 42; PO 16; Reg. Com., IV, 1.

6 PC 12.

23. Per professionem castitatis, sodales se obligant ad caelibatum et novo titulo, nempe religionis, ad virtutem perfectae castitatis servandam (1).

### **De paupertate**

24. Cum Christus, evangelizare pauperibus missus a Patre, opus redemptionis in paupertate perfecit, egenus factus propter nos (2), paupertas sic evecta ad conditionem vitae Redemptoris, in signum erigitur Missionis Ipsius in mundo ab Ecclesia prosequendae. Ecclesia proinde, licet ad missionem suam exsequendam humanis opibus indigeat, donec omnia in Christo consummentur et perfecte instaurentur (3), apud homines et inter huius mundi varietates, urgetur a Spiritu inter pauperes pauper adlaborare, omnium derelictorum causam strenue suscipiens (4).

25. Congregatio, quae ab eodem Spiritu peculiari modo pauperes habet sibi commendatos (5), professione paupertatis in Ecclesia, a cupiditate divitiarum liberata, particeps fit conditionis vitae Christi pauperis ut eiusdem missionem amplectatur (6). Ad modum ipsius Ecclesiae, cuius mysterio vitaliter consociatur (7), in tota sua actione apostolica omnes infirmitate humana afflictos amore circumdare, imo in pauperibus et patientibus Christum pauperem et patientem agnoscere sataget, eorum inopiam sublevando et in ipsis Domino inserviando (8), eos veluti dominos suos, secundum verba et doctrinam Fundatoris, considerando.

26. § 1. Nec sufficit interna conformitas cum Christo paupere ad continuationem missionis Ipsius: cum Congregatio in Ecclesia vocetur uti nuntium salutis pauperum, tota eius ratio vivendi debet esse ipsi rationi vivendi pauperum, diversorum locorum et temporum perspectis circumstantiis, accommodata.

§ 2. Et ideo, quamvis Congregatio Missionis, ad normam iuris, sit capax possidendi et acquirendi bona

I Art. 174.

2 2 Co 8, 9.

3 Eph 1, 10.

4 LG 8.

5 Rm 5, 5; 1 Co 1 2, 4.

6 PC 13.

7 PC 1,5.

8 LG 8.

ad vitam temporalem et opera necessaria, maxima cura vitabit omnem speciem luxus, Immoderati lucri et cumulationis bonorum, ita ut propria structura oeconomica, potius quam in redditibus stabilibus provenientes sive ex possessione bonorum sive ex fundationibus, in labore sodalium revera instituantur (1).

27. Cum praecipuum testimonium paupertatis collectivae exstet in fidei et simplici adimpletione propriae missionis erga pauperes et erga clerum, oportet quod domus nostrae et media nostri apostolatus, etiamsi moderniora et efficaciora, ita sint aptata nostrae conditioni et necessitatibus, ut nec pauperes nec sacerdotes qui ad nos accedunt ullam ab eis admirationem vel speciem scandali accipiant; oportet insuper quod nec umbra ambitionis bonorum terrestrium (2). -ne sub pretextu quidem boni spiritualis (3) - in nostro labore apud eos cernatur, sed potius quod semper videatur Congregatio omnem terrenam sollicitudinem proicere et Patris coelestis providentiae sese fiducialiter committere (4).

Dum ita cum fine apostolico Congregationis coniungitur, paupertas clare apparet huiusmodi fundamentum, vinculum et inexpugnabile propugnaculum, quo, divina adspirante gratia, perpetuo conservabitur (5).

28. Amore pauperum et zelo apostolico impulsa, quaerat semper Congregatio, quoad usum bonorum temporalium, quid aptius et conformius vitae et ministerio suo sit, ratione habita circumstantiarum et locorum, ita ut revera, in locis praesertim ubi operam praestat, ex propriis bonis aliquid ad aliorum necessitates conferendo (6), communionem ecclesiam manifestam faciat, consilio Apostoli obsequens: «ut, fiat aequalitas, sicut scriptum est: qui multum, non abundavit, et qui modicum, non minoravit» (7).

29. Memores quod in paupertate vitae consecratae haud sufficit, in usu bonorum Congregationis, Superioribus subici, sed oportet ut sodales re et spiritu sint paupe-

1 PC 13.

2 1 Jo 2, 16.

3 Reg. Corn., III, 10. 4 Lc 12, 22-34.

5 Reg. Corn., III, 1.

6 PC 13.

7 2 Co 8, 14-15.



res, thesauros in coelo habentes (1), omnes et singuli in maxima aestimatione habeant praecepta de paupertate a Sancto Fundatore in Regulis tradita (2): optandum est enim ut nihil apud sodales cernatur quod redoleat proprietatem et bona Communitatis sint revera communia, quod valde favet caritati fraternae et apostolicae (3).

30. Suae professioni paupertatis in Congregatione fideles, omni studio quaerant sodales sequi Christum pauperem, ad imitationem Apostolorum omnia propter Ipsum dimittentes et sperantes omnia ab Eo apud quem sunt omnia possibilia (4). Affectu et effectu pauperes, communi legi laboris se sentientes obnoxios (5), ferentes mundo testimonium paupertatis (6) personalis et collectivae, omnes et singuli tali amore apostolico incumbant operi Redemptionis et Regni Dei dilatationi, ut actio eorum ipsa evangelica Christi actione videatur consociari (7).

31. Unusquisque sodalis in Congregatione post professionem perpetuam retinet dominium bonorum immobilium, et eorum quae immobilibus aequiparantur, quae cum vovet possidet aut in futurum possidebit (8).

32. § I. Bona mobilia quae dicuntur «minoris momenti» et «usui missionariorum accommodata» post professionem fiunt bona communitatis; alia remanent propria sodalium (9).

N. B.: In notis 8 et 9 referuntur textus completi iam propositi a Commissione.

I PC 13.

2 Reg. Com., III.

3 PO 17,

4 Mt 19, 23-30.

5 PC 13.

6 Lc 10, 4.

7 PC 5.

8. Attamen, ut paupertatem magis exercere possit et evidentiori modo assimilari pauperibus, qui proprietatem non habent et ex labore vivunt, libere potest sodalis bonis istis renuntiare, iuxta normas in Statutis determinatas. Sic, liberatus ab omni cura inordinata, promptior evaderet ut servitio Dei sese manciparet in propria vocatione. PC 13; PO 17.

9. Vel: Bona mobilia, etsi sint «maioris momenti» (vel cuiuscumque valoris), quae accommodantur usui missionariorum, post professionem perpetuam fiunt bona communitatis; alia remanent propria sodalium; unusquisque, tamen, libere potest etiam istis re-

§ 2. Pecunia autem regitur normis traditis in Statutis.

33. Meminerint semper sodales quod sicut tota vita nostra per consecrationem Deo et pauperum servitio mancipatur, ita aliquo modo et bona: conscii quod non sufficit, ad spiritum paupertatis assequendum, de bonis propriis bene disponere, ipsi gratias Deo pro acceptis reddant, et bona in illos usus erogent, quos meliores sub lumine vocationis propriae ad pauperes discernant.

### **De obedientia**

34. Sicut Christus, ingrediens in mundum ad opus redemptionis perficiendum, voluntatem Patris usque ad mortem per obedientiam adimplevit (1) ut nos, ex peccati mortisque tenebris liberatos, in aeternam vitam suscicaret (2), ita et nos, baptisate participes effectos mortis et resurrectionis Ipsius (3), divinae voluntati salvificae constantius et securius per professionem obedientiae oportet uniri (4), Deo Patri per fidem in Christum (5) propriae voluntatis sacrificium offerentes (6) sicque plenius dediti gratiae Spiritus, in libertatem gloriae filiorum Dei adducimur (7).

35. Caritas apostolica sodales urget ut voluntatem propriam per obedientiam servitio Ecclesiae dedificent (8), accipientes et exsequentes fideliter et constanter quae statuuntur a Summo Pontifice et ab Episcopis in quorum dioecesibus deputantur ad functiones Instituti nostri exercendas (9).

36. In communione agentes sodales adimplent quidquid a Superioribus Congregationis (10) praecipitur vel commendatur; dedificent proinde vires intelligentiae et voluntatis aliaque naturae et gratiae dona praeceptorum exsecutio

nuntiare in favorem Congregationis vel in favorem pauperum, iuxta Statuta nostra, in memoriam revocando desiderium S. Vincentii: «Omnes et singuli nostrae Congregationis intelligent quod, exemplo primorum christianorum, erunt nobis omnia communia»; Reg. Com., III, 3.

1 Ph 2, 7-8; He 10, 5.

2 Col 1, 13; 2 Co 5, 19; AG 3.

3 Rm 6, 3-5.

4 PC 14.

5 Ga 3, 26.

6 PC 14.

7 Rm 8, 21; PC 14.

8 PC 14; PO 15.

9 LG 45; CD 33, 34; Reg. Com., V, 1.

10 Reg. Com., V, 2-3.

ni munerum sibi in communitate commendatorum (1); libentissime impendentes et superimpendentes seipsos in quocumque munere, etiam humiliori et pauperiori, quod ipsis conceditur (2); insuper, Spiritu Sancto movente, sodales voluntati Superiorum Congregationis, vices Dei gerentium (3), in fide se conforment et eis humiliter praestent obedientiam.

37. Omnes habeant obedientiam uti medium indispensabile (4) ad prosequendam gloriam Dei et uti modum quendam ordinarium quo divina voluntas manifestatur, ita ut, collaborantibus Superioribus, ad omnium in Christo fratrum ministerium ducantur (5), et, in obeundis Superiorum mandatis, spiritu fidei (6) et amoris erga Dei voluntatem moveantur.

38. § 1. Cum tanquam praecipuum munus habeat Superior confratres perducere ad sanctitatem et apostolatum, illis se ostendat fratrem inter fratres, ut caritatem qua Deus ipsos diligit exprimat (7) ad exemplum Christi qui non venit ministrari sed ministrare (8). In hoc munere explendo, Superiores, docibiles Dei (9), et prae oculis habentes dignitatem personae singulorum (10) libenter confratres audiant necnon conspirationem eorum ad bonum Congregationis et Ecclesiae per obedientiam activam et responsabilis promoveant (11).

§ 2. Memores praeterea sint quod naturius exercitium obedientiae postulat rationabilem communicationem responsabilitatis personalis ita ut sodalibus activitatis spontaneae usus agnoscat.

39. Sit omnibus obedientia ut ministerium caritatis et medium ad perfectam caritatem consequendam. Ideo aestiment omnes colloquium familiare atque apertum, manifestans scilicet proprias opiniones et rationes, uti medium praestans fovendi veram communionem vitae inve-

1 PC 14.

2 PO 15; 2 Co 1 2, 15.

3 PC 14.

4 Coste, X, 78, 92; XII, 428-429.

5 PC 14.

6 PC 14; PO 15; Coste, IX, 71, 524; X, 85, 92.

7 PC 14.

8 Mt 20, 28; Lc 2 2, 26s; PC 14; CD 16; Coste, VI, 66; XI, 346; VII, 144-145.

9 Jo 6, 45.

10 PC 14.

11 PC 14.

niendique vias novas ad maius Congregationis et Ecclesiae bonum (1), quin tamen ex hoc Superiorum auctoritas videatur infirmari (2).

40. § 1. Vi voti obedientiae sodales Congregationis obligationem contrahunt obediendi Superiori Generali, Visitatori, Superiori domus, eorumque omnium substitutis qui eos quoad omnia suppleant in omnibus quae, sive directe, sive indirecte se referunt ad votorum et Constitutionum observationem (3).

§ 2. Meminerint tamen confratres Superioribus obtemperantes vitamque suam in spiritu obedientiae fideliter componentes, se meritum voti et virtutis obedientiae consequi, quoties eis in Domino oboediunt.

### **De servitio pauperum**

41. Praeter castitatis, paupertatis et obedientiae vota, sodales quartum peculiare et proprium Congregationis emittunt, vacandi scilicet toto vitae tempore saluti pauperum in dicta Congregatione, sic in mundo prosequentes charisma Fundatoris, qui, sub ductu Spiritus et ad laudem Patris, missioni Filii pauperes evangelizantis et ipse fideliter incubuit et nos voluit ex corde et animo indesinenter obsequi (4).

1 PC 14; PO 15; CD 28.

2 PC 14.

3 Art. 180.

4 Urbanus VIII, Salvatoris Nostri, 12 ian. 1632: AACM, 3; Alexander VII, Ex Commissa Nobis, 22 Sept. 1655: AACM, 16; Appr. Votorum ab Arch. Paris., 19 oct. 1641; Coste 1, 563; IV, 133, 579; XI, 133; XII, 79; Verdier, Litt. Circ. 1 ian. 1929, 6 et 14; Slattery. 1 ian. 195 2, 5; Ioannis XXIII, Epist.: AAS, 52 (1960), 149-150, «Persuasum».

## PARS TERTIA

### **De vita spirituali in Congregatione Missionis**

#### **Principia generalia**

42. Vita consecrata in Ecclesia ad hoc ordinatur, ut sodales Christum sequantur, Deo intime uniantur per professionem consiliorum evangelicorum (1), et ita signum fiant supernaturalium bonorum, quae homines huius temporis, multis gravibusque problematibus agitati, saepius obliviscuntur. Huic autem fini assequendo, maximo adiumento est vita spiritualis: per eam enim, aptis adhibitis mediis ab Ecclesia propositis aut probatis, sodales ad semper maiorem nituntur sanctitatem, qua Deo magis in dies adhaerent et aptiora fiunt instrumenta (2), quibus mysterium salvificum Christi mundo manifestatur et cum eo communicatur.

Vita igitur spirituali sibi statuta, tota Congregatio eiusque singuli sodales contendunt, ut revera Deo uniantur et Christum induant (3), eius paschale mysterium penetrando et vivendo, illud nempe salutis mysterium quod, iuxta finem sibi proprium, hominibus suae aetatis, praesertim vero pauperibus, participare proponunt.

43. § 1. In luce autem huius mysterii salutis sodales, iuxta traditum morem Congregationis, peculiari honore prosequuntur mysteria Trinitatis, Verbi Dei Incarnati, Eucharistiae et Ecclesiae.

1 PC 2, e.

2 PO 12.

3 Rm 13, 14; Ga 3, 27.

§ 2. Trinitatem Sanctissimam summopere colent, zelo inflammati pro salute proximi, quem Deus in partem vocat suae vitae per gratiam: hoc enim modo vocationem suam ad effectum ducunt, participes facti muneris Ecclesiae, quae, in saeculo vivens, «natura sua missionaria est, cum ipsa ex missione Filii missioneque Spiritus Sancti originem ducat secundum propositum Dei Patris» (1).

§ 3. Verbum autem Incarnatum eiusque missionem in mundum debite honorare studebunt, se tamquam missos habentes qui Incarnationem Christi mundo praesentem continue efficiant atque homines, fratres suos, ducant ad vitam divinam Trinitatis per gratiam Redemptionis participandam (2).

§ 4. Eucharistiam vero, quippe quae in se veluti summam ceterorum mysteriorum continet (3), omnes centrum et radicem habebunt totius vitae spiritualis (4). In ipsa enim continetur Christus, pascha nostrum panisque vivus per carnem suam Spiritu Sancto vivificatam et vivificantem vitam praestans hominibus, qui ita invitantur et adducuntur ad seipsos, suos labores cunctasque res creatas una cum ipso offerendas (5).

§ 5. Ecclesiam quae, veluti mirabile sacramentum e latere Christi in cruce dormientis orta est (6), et per Eucharistiam continue vivit et crescit (7) filiali animo amabunt; cum ea magis magisque vivent et sentient, eiusque missioni totaliter se devovebunt (8) in favorem praesertim pauperum, quos peculiari ratione vocatio sua respicit.

§ 6. Vitale autem consortium cum confratribus qui ipsos praecesserunt quique in Christo dormierunt, praesertim vero cum Sancto Fundatore aliisque familiae vinctianae sanctis et beatis, spirituali communicatione bonorum exinde derivantium roborabunt. Ex eo enim quod caelites intimius cum Christo uniuntur, familiam

1 AG 2.

2 LG 44; PO 2-3.

3 Reg. Com., X, 3.

4 PO 14.

5 PO 5.

6 SC 5.

7 LG 26.

8 PC 6.

suam in terris peregrinantem in sanctitatem firmiter consolidant (1).

§ 7. Haec autem mysteria, exemplo Sancti Fundatoris, sedulo colent crebros actus fidei et religionis eliciendo, eorumque festa debita pietate et sollemnitate celebrando, et alios docendo quid de his mysteriis credere et quomodo debeant illa venerari (2).

44. Beatam Virginem Mariam in lucem totius mysterii salutis peculiari veneratione prosequuntur. Proinde praesens aderit in eorum vita spirituali utpote indissolubili nexu cum Filii sui opere salutari coniuncta (3) praecipue uti summi et aeterni Sacerdotis Mater, Ecclesiae typus et mater (4), Apostolorum Regina, ipsa, quae a Spiritu Sancto ducta, seipsam mysterio hominum redemptionis totam devovit (5). In signum autem filialis devotionis cultum, praesertim liturgicum, erga beatam Virginem generose fovebunt; seipsos et alios ad filialem erga Matrem nostram amorem eiusque virtutum, theologiarum praecipue et earum quae cum cuiusque statu magis congruunt, imitationem excitabunt (6).

45. § 1. Praecipuos vitae spiritualis fontes omnes habebunt sacrae Liturgiae participationem intensiori vita ascetica roboratam, vitae consecratae eiusque obligationum fidele exercitium, atque munerum apostolicorum et laboris cotidiani ferventem executionem.

§ 2. In liturgicis celebrationibus et in anno liturgico mysterium salutis praeclaro modo proclamatur, efficitur et vivitur familiari et assidua charitate cum Patre per Christum Salvatorem et Pastorem in Spiritu Sancto (7). Vita autem sacramentalis et liturgica, ut efficacior reddatur, lectione atque meditatione Verbi Dei est alenda, oratione continua nutrienda, atque fide plena et intensa vita ascetica fovenda (8). Ad hoc magni fiant anni liturgici tempora, quae peculiari ratione orationi et spiritualibus exercitationibus dicantur; et in iis vita pietatis tum singulorum tum communitatis intensior fiat.

1. LG 49-51.

2. Reg. Com., X, (2), (3).

3 SC 103.

4 LG c. VIII.

5 PO 18.

6 LG 67; Reg. Com., X, (4).

7 SC (7), 10 (2), 105; OT 8; PO 18.

8 SC 11-12.

§ 3. Vita autem consecrata cum suis obligationibus valde impellit et adiuvat ad profundioram vitam spiritualem acquirendam et ducendam: dum enim exigit ut gratia baptismatis perficiatur, simul requirit ut a saeculi impedimentis quis plenius liberetur et ita facilius charitatis perfectionem attingat (1).

§ 4. Apostolatus etiam eiusque officia, sicut et labor cotidianus, si veluti voluntatis Dei significatio et propriae sanctificationi cooperatio conspiciuntur, valde iuvant ad vitam spiritualem intensiorem reddendam. Huiusmodi enim officii cotidiani exercitio in Dei proximique amore succrescitur, atque vivum testimonium Dei omnibus praestatur (2).

46. § 1. Cum autem ad naturam ipsam Congregationis pertineat ut sodales vitam communem ducant, cordi eis erit ut communitas charitatem et unitatem Ecclesiae exprimat, non tantum in operando pro Regni Dei dilatatione, sed etiam in offerendis Patri oratione, adoratione et laude. Hoc modo enim, per suam praesentiam inter illos in suo nomine congregatos, Christus sacrificium et laudem Patri offerens, vincula charitatis firmiora reddit et unionem fraternam roborat.

§ 2. Magno igitur in honore habeantur formae celebrationum, liturgicarum praesertim, maxime autem Eucharistiae, quas Ecclesia in communi peragendas proponit (3).

47. Superiorum erit curare ut vita spiritualis in domibus nostris floreat, sensum responsabilitatis personalis in confratribus fovendo et excitando, et attendendo ut singulis, etiam in ordinario ministerio exercendo, tempus sufficiens suppetat ut pietatis exercitiis modo debito incumbant.

48. In piis exercitiis in communi peragendis non imponitur rigida unius tenoris forma in omnibus domibus; proinde formularia diversa utiliter adhiberi poterunt, dummodo fini atque nostrae vitae spirituali respondeant et cum iis congruant, et sint legitime approbata.

### **De vita sacramentali**

49. § 1. Mysterium eucharisticum, per quod opus nostrae

1 LG 44.

2 LG 41; PO 13.

3 SC 26-27.



redemptionis exercetur, cardo et radix exstet totius vitae communitatis (1), atque operum apostolicorum, necnon vitae spiritualis personalis. In illo enim mysterio Communitas, sicut et Ecclesia, significatur et efficitur ita ut signum praesentiae Dei in mundo fiat (2). et magis ac magis transeat de hoc mundo ad Patrem. In illo praeterea fons et culmen totius evangelizationis attingitur; quisque denique divinam Victimam offerendo cum illa addiscit sese offerre et ideo maxima cum efficacitate sanctitatem haurit.

§ 2. Singuli ergo Eucharistiam sedulo participant iuxta proprium cuiusque statum.

50. § 1. Item sacerdotium, iuxta proprium gradum, sit unicuique fons spiritualitatis in vita diaria.

§ 2. Unusquisque in primis sacerdotium illud regale vivat, quo omnes christifideles per regenerationem et Spiritus Sancti unctionem consecrati sunt ut spirituales offerant hostias Deo per Iesum Christum (3) praesertim vero cum eucharisticum mysterium participant (4).

§ 3. Qui vero Ordinis sacramentalis gratia potiuntur, meminerint se ad perfectionem acquirendam peculiari ratione teneri, quippe qui, Deo in Ordinis receptione novo modo consecrati, Christi aeterni Sacerdotis viva instrumenta efficiantur, ut mirabile opus eius, quo superna efficacitate universum hominum convictum redintegravit, per tempora prosequi valeant, atque per cotidianas sacras actiones, sicut per integrum suum ministerium (5), se ad hanc vitae perfectionem ordinari (6).

51. § 1. Reconciliatio hominum cum Deo per Christum in Ecclesia, quae summe in mysterio eucharistico impletur, ad Poenitentiae sacramentum extenditur et in ipso perficitur.

§ 2. Hoc enim sacramentum ad vitam christianam et consecratam fovendam quam maxime confert (7) : qui enim ad illud accedunt conversionem ad Patrem misericordiarum, ad quam per Verbum Dei vocantur, perfici-

1 PO 6.

2 AG 15.

3 1 Pe 2, 5.

4 PO 6.

5 PO 13.

6 PO 12.

7 CD 30.

unt; veniam offensionis Deo illatae ab eius bonitate obtinent et simul reconciliantur cum Ecclesia, quam peccando vulneraverunt (1); ad Eucharistiam denique, qua festivum convivium fratrum, sese disponunt.

§ 3. Omnes ergo frequenter ad illud accedent eique cotidiana conscientiae discussione se praeparabunt z, ita ut exinde mysterium paschale, ad quod per baptismum et religiosam consecrationem iam initiati sunt, plenius et perfectius in se compleant.

### **De celebratione laudis Dei in officio divino**

52. Laudes et gratiarum actiones, quae in Eucharistiae celebratione Deo offeruntur, ad diversas diei horas dilatantur in divino persolvendo Officio quo, stantes ante thronum Dei nomine Matris Ecclesiae, pro toto populo christiano, immo pro universo mundo, Deum deprecantur (3). Ut autem vita communis etiam in celebrando Officio divino exprimatur et exinde incrementum accipiat (4) aliquae saltem divini Officii partes, iuxta cuiusque domus condiciones, in communi celebrabuntur, apte servatis natura et momento singularum horarum.

### **De verbi Dei lectione et meditatione**

53. § 1. Ad eminentem Iesu Christi scientiam addiscendam eiusque mysterium plenius participandum et ad nutrimentum abundantius hauriendum tum vitae spiritualis tum orationis et apostolicae actuositatis, omnes cotidie Sacram Scripturam legent (5).

§ 2. Insuper suavis et vivus Sacrae Scripturae affectus (6) prouti est repraesentatio mirabilium Dei in historia salutis, assidue promoveatur. Hac ratione, sub lumine fidei, lectione divina enutritae, facilius erit voluntatis Dei signa et eius gratiae impulsus in variis vitae eventibus inquirere, et ita propriae missioni in Spiritu Sancto assumptae dociliores in dies omnes fieri (7).

1 LG 11.

2 PO 18.

3; SC 83-85; PO 5.

4 SC 99.

5 CD 30; PO 4; PC 6; DV 25.

6 SC 24.

7 PO 18.

### **De aliis pietatis exercitiis**

54 § 1. Praeter quam celebrationibus liturgicis, vita spiritualis Congregationis enutritur et manifestatur aliis quoque pietatis exercitiis, quae ipsius celebrationis liturgicae sunt quasi praeparatio et prosecutio. Haec tamen pietatis exercitia, quae Verbo Dei sedulo nutrienda erunt, ratione habita temporum liturgicorum, ita ordinentur, ut sacrae Liturgiae congruant, ab ea quodammodo deriventur, ad eam manuducant, utpote quae natura sua iisdem longe antecellat (1).

§ 2. Curent igitur sodales ut, ad normam Statutorum, orationi mentali atque lectioni spirituali vacent; examini conscientiae attendant; Christum Dominum in Eucharistia praesentem invisent; B. V. Mariam probatis et traditis formis pietatis honorent; conferentiis spiritualibus intersint; ad exercitia spiritualia incumbant; conscientiae suae rationem reddant; virtutes autem poenitentiae, mortificationis et humilitatis suetis in Congregatione piis praxibus excolant.

### **De exercitio virtutum**

55. § 1. Ut Christi imitatio, quae maxima cum profunditate ac veritate per sacramenta, Eucharistiam praesertim, completur, veros et uberiores fructus afferat, et etiam exteriori modo exprimatur, omnes magni semper facient exercitium virtutum, quibus, mortui peccato et Christo conformati, iam non sibi vivunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit (2). Ita enim charitas erga Deum et homines succrescit et firmatur, et vocatio robur ac munimen consequitur (3).

§ 2. Peculiari ratione virtutes theologicas exercebunt atque, documenta et exempla S. Vincentii sectando, simplicitatem, humilitatem, mansuetudinem, mortificationem et zelum animarum, quae sunt veluti «facultates animae totius Congregationis» (4).

### **De oratione et actuositate coniungendis**

56. § 1. Ad propriam insuper vocationem authentice et plene in Domino vivendam, qua ad actuositatem apos-

1 SC 13.

2 2 Co (5), 15; *Instr. Inter Oecumenici*, (6).

3 OT (8).

4 Reg. Com., II, 14.

tolicam simulque ad vitam orationis vocantur, omnes spiritum orationis et orationem ipsam, haurientes e germanis spiritualitatis christianae et vincentianae fontibus, assiduo estudio [*sic*] colant (1); ministerium Spiritus et iustitiae (2), cum ardore et sub ductu Spiritus Sancti fideliter impleant, ut, per ipsam apostolicam actuositatem, in Dei proximique amore succrescant et in vita spirituali firmentur (3).

§ 2. Sive ergo orationi et adorationi vacent, sive Verbum Dei annuntient, sive Eucharisticum Sacrificium offerant, sive alia pro hominibus exercent ministeria, gloriam Dei et salutem animarum promovere contendunt, et per ea ad altiorem sanctitatem ascendere: ex abundantia autem contemplationis, actionem suam nutriant ac foveant (4).

### **De harmonica unitate in vita vincentiana efformandam**

57. § 1. Hodierno in mundo, in quo implicati et distracti evadere possunt diversis obligationibus, sodales vitae vincentianae unitatem et harmoniam efficere satagent, doctrina et exemplo Sancti Fundatoris insistentes, praecipue per exercitium Dei voluntatis eiusque praesentiae.

§ 2. Studium enim voluntatis divinae ipsos adducet ad Christi exemplum sectandum, cuius cibus erat voluntatem facere Patris qui eum misit in mundum ut opus suum perficeret (5).

§ 3. Cultus autem praesentiae Dei maxime cordi omnibus erit, et animi ardorem et servitium fratrum excitabit; illum tamen pleniori sensu intelligere et vivere curabunt.

§ 4. Deum proinde praesentem per Christum in primis conspicient cum ipsi suo nomine ad orationem congregantur; Illum continue praesentem in communitate reddere contendunt per charitatem quae unitatem in Spiritu efficit et consummat; praesentem conspiciere studebunt in Sacri Ordinis administris, quibus efformandis a sua vocatione urgentur; praesentem denique

1 PC 6.

2 2 Co 3, 8-9.

3 PO 12-18.

4 LG 41; P.02.

5 Jo 4, 34.

videre conabuntur in pauperibus, Ipse qui promisit se per illos manere cum hominibus et redditurum quae homines propter eum pauperibus praestitissent.

## PARS QUARTA

### **De vita communi in Congregatione Missionis**

#### **Principia generalia**

58. § 1. Vita communis, quam Sanctus Vincentius iam ab exordiis Congregationis voluit tum ad communitatem apostolicam constituendam tum ad certum modum convivendi et cooperandi ineundum quaeque ad nos sedulo servata est, ab omnibus magni fiat et promoveatur tamquam elementum ad naturam ipsam et historicum characterem Communitatis pertinens (1).

§ 2. Natura sua vita comunis in Congregatione eo tendit ut missionarii simul fraterne convivant (2), omnia in communi habeant, orationi et operibus apostolatus simul incumbant, sub moderamine Superioris, qui suis confratribus praeficitur ut laborem apostolicum coordinet, pietatem et virtutum exercitium foveat, consiliorum evangelicorum atque Constitutionum observantiam promoveat et de uniformitate in caritate servanda sollicitus sit.

59. § I. Tota ratio vitae communis in eo est ut ad communionem fraternam ducat, et Congregationem speciali modo Ecclesiae mysterio coniungat.

Vita enim communis in statu consecrato dum unionem Ecclesiae cum Christo aliquo modo efficit, signum vivum exstat mirabilis unitatis Corporis Christi, et,

1 ES, II, 25.

2 Reg. Com., VIII, 2.

Spiritu Sancto operante, unitatem totius generis humani iuvat (1). Dum autem illa veram familiam constituit non terrenis sed spiritualibus vinculis in nomine Domini congregatam, Eius praesentia gaudet (2) et, bona terrestria propter regnum Dei relinquenda saudens, Populum Dei docet eius veram aeternamque civitatem in coelis esse, eumque ad perfectionem in Christo colendam invitat (4).

§ 2. Tandem vita communis, fratrum unitatem fovens, Christi adventum manifestat (5), immo regnum Christi in mysterio iam praesens bonaque coelestia in saeculo iam operantia omnibus credentibus ostendit, vitam novam et aeternam Christi redemptione acquisitam testificatur, resurrectionem et gloriam Regni coelestis praenuntiat, efficitque ut homines melius credant Christum a Patre venisse s Eumque in Ecclesia adhuc manere (7).

60. § 1. Vita communis in Congregatione praesertim cultu Dei, sodalium conversatione et actuositate apostolica manifestatur et reficitur (8).

§ 2. Unitatem in Christo per communem adorationem exprimentes et perficientes, missionarii communes celebrationes pietatis exercitiorum praesertim vero sacrae Liturgiae, iuxta Congregationis praescripta, ad mentem Ecclesiae corde et ore peragant (9).

§ 3. Sibi memorantes praeterea mutuam conversationem esse exercitium illius perfectae caritatis ad quam persequendam se dedicaverunt, et quae plenitudinem legis et vinculum perfectionis constituit (1) ° omnes fraternam consuetudinem omnimode colant, ad exemplum Domini, qui voluit ut Duodecim vitam secum ducerent iI et ad exemplum primaevae Ecclesiae, in qua vigeat concordia fraterna, frequens conversatio et communio bonorum 12.

1 LG 44.

2 PC 15; Mt 18, 20.

3 Ph 3, 20.

4 LG 44.

5 PC 15.

6 Jo 17, 21.

7 LG 44; Mt 18, 19-20.

8 PC 15.

9 PC 16.

10 Rm 13, 10; Col 3, 14.

11 Mc 3, 13-14.

12 PC 15; Ac 2, 42-47; 4, 32-37.

§ 4. Cum tandem actio apostolica ad ipsam naturam Congregationis pertineat (1), sodales non tantum qua individui sed etiam qua membra communitatis ad apostolatam vocatos se sentiant, scientes magnam virtutem apostolicam e fratrum unitate manare z; virtutem autem apostolicam solum a communitate adaequate exerceri posse. Apostolatam proinde spiritu sociae cooperationis et collaborationis arripiant, sese corresponsabiles habentes omnium operum, quae tum a communitate in qua vivunt, tum ab universa Congregatione exercentur. Proinde vita communitaria sodalium spiritu apostolico vero apostolica ex fraterna unione imbuatur, actio procedat (3).

### **De praecipuis obligationibus vitae communis**

61. Vita communis ad communionem fraternam reapse ducet, si opportunis regetur normis, quas tum Ecclesiae doctrina, tum Sancti Vincentii monita et ipsius Congregationis traditiones proponunt.

62. Imprimis, omnes curabunt ut actus caritatis erga proximum apud nos incessanter vigeant (4), honore se invicem praevenientes (5) et alter alterius onera portantes `.

Iamvero haec caritas relationes foveat mutuae reverentiae et aedificationis (7), alienarum opinionum existimationem (8) , adiuventum ad perfectionem persequendam (9), mutuam sustinentiam (10), fiduciam (11), servitium (12), commendationem et consilium (13), necnon fraternam correctionem (14).

63. § 1. Diversitas personarum et statuum in Congregatione, nedum caritati fraternae nocet, illam potius summopere iuvat. Exinde illa superior unitas exoritur qua

1 PC 8.

2 PC 15.

3 PC 8.

4 Reg. Com.,

5 Rm 10, 12.

6 Ga 6, 2.

7 Reg. Com., VIII, 2 et 8

8 Reg. Com., VIII, 9.

9 ib., 8.

10 ib., 9.

11 ib., 10.

12 Reg. Com., V, 8.

13 Reg. Com., XII, 4.

14 Mt 18, 15.



omnes unum sumus in Christo I: in Eius enim corpore, quamvis multa sint membra, omnia tamen comprehendit una eademque caritas, qua membra se invicem adiuvant per divisiones gratiarum, ministracionum et operationum (2). Unitas autem huius corporis clare apparet ex intimitate et familiaritate quae in nostris domibus effloret, dum fratres suis laboribus et muneribus incumbunt, et clerici magis expedite orationi, studio et ministerio verbi ac sacramentorum vacant (3).

§ 2. Ideo apud nos vita communis ita ordinetur ut uniuscuiusque dona naturalia et supernaturalia non solum non supprimantur, sed ad plenam evolutionem ferantur in bonum totius Congregationis et in servitium Ecclesiae. Diversitas autem statuum, ex sodalium progressu in formatione, ex ordinibus sacris receptis vel ex natura officiorum sibi commissorum promanans, ad meliorem Instituti compaginem et coordinationem inserviat, et uniuscuiusque iura et obligationes in vita communi ita distribuantur ut omnes, pro sua quisque vocatione et facultate, illam plene participare se sentiant (4).

§ 3. Omnes, quoad fieri poterit, uniformitatem quaerant, tamquam boni ordinis et sanctae unionis tutricem (5). Distinctiones vero, quae aequalitatem et unitatem sive domorum sive singulorum sodalium laedere possint, nullo modo admittantur.

64. Ut autem activa participatio in vita communi plenior evadat, adaequata notitia de operibus et propositis Communitatis omnibus, tam Superioribus quam aliis, impartiat. Similiter autem, ope Conventuum, consiliorum, studiorum congressuum, aliarumque adunationum, frequens vigeat consultatio, tam circa incepta apostolatus quam circa internam activitatem Congregationis (5).

65. Per opportunas munerum attributiones quam plurimi de gubernio Congregationis sese responsables sentiant et sensus communitarius magis floreat (7).

66. Spiritu collaborationis et sociae activitatis omnes missionarii perfundantur, ita ut tam vita interna communi

1 Rm 10, 12; Ga 3, 28.

2 1 Co 12, 4-6.

3 Reg. Com., V, 2; Ac 6, 3-6.

4 PC 15; ES, II, 26.

5 Reg. Com. II, 11.

6 PC 14; ES, II, 2, 4, 18; DCG 19, 23, 74, 78, 2°, a, 80, 2°, 91.

7 ES, II, 18.

tatis quam eiusdem apostolica incepta ab omnibus simul, velut ab uno corpore diversa membra habente, exercentur. Eodem autem spiritu opera toti Congregationi communia vel etiam alicui eius parti commissa, ab omnibus veluti propria accipiuntur. In vicissitudinibus cuiuscumque Provinciae, ceterae Provinciae, sicut et confratres omnes, partem sumant. Denique hospitalitatem, beneficentiam et communionem bonorum tam sodales singuli quam Provinciae et domus, omnimode colant (1).

67. Sodalium qui infirmitate aut senectute premuntur partes in vita communitaria ab omnibus bene compertae habeantur; infirmi enim aliique activitate destituti, propter suam specialem unionem et conformationem cum Christo pro salute mundi patienti (2), ad perfectionem communitatis valde conferunt et operi evangelizationis suis aerumnis et orationibus validissimum praestant auxilium (3).

68. Ad vitam communitariam totius Congregationis efficacioram reddendam, foveantur coetus seu confoederationes inter Provincias rationibus pastoralibus, geographicis vel humanis affines. In his consociationibus communes congressus non solum Visitorum sed etiam sodalium alicui ministerio incumbendum celebrari praestat ad communia problemata disceptanda; peropportunitate item erit conficere communes rationes sive studiorum, sive regularis disciplinae, sive apostolatus'.

69. Provinciae, sive sodalium numero sive bonis temporalibus affluentes, pauperioribus Provinciis fratrum adiutorium libenter et generose praestent (5). Mutuum denique commercium missionariorum, professorum et scholasticorum facile reddatur (6);

70. Cum ordo diei saepe non idem esse possit in omnibus Provinciis neque aliquoties in omnibus earum domibus neque interdum in eadem domo pro omnibus sodalibus (7), Visitorum vel etiam Superiorum erit illum conficere

1 PO 8; Reg. Com., II, 1 2, 17; III, 2; IX, 16.

2 LG 41; Reg. Com., VI, 2.

3 AG 38; Reg. Com., VI, 3.

4 CD 38, 5; PC 22-23; ES, II, 39; DCG 74, 80, 2°.

5 DCG 5, 36.

6 ES, 1, 3; DCG 50, 5°.

7 ES, II, 26

ad normam Statutorum. In ipso autem conficiendo, ad haec praecipue attendatur:

- 1) Ordo necessitatibus apostolicis uniuscuiusque domus accommodatus sit, ne ministeriorum exercitium detrimentum patiatur (1).
- 2) Actus communes ita disponantur ut, quantum fieri poterit, revera communiter peragantur. Speciatim communia tempora orationis et recreationis ea ratione per diem distribuantur, ut omnes confratres adesse possint;
- 3) Sodales, praeter tempus rebus spiritualibus et laboribus dicatum, aliquantum pro seipsis habeant et congrua animi relaxatione frui valeant (2).

71. In mutua conversatione, regulae bene inter nos convivendi et colloquendi sedulo serventur, ita ut vita communitaria perfundatur reverentia dignitatis humanae, pace et quiete ad fructuose orandum et laborandum necessariis, silentio religiosae recollectioni inservienti (2), et gaudio verae et christianae fraternitatis. Ad quae omnia multum iuvabit regularis disciplinae observatio (4).

72. Ut vita Congregationis reapse communis dici possit, necesse est ut victus, vestitus et suppellex omnibus aequae et secundum uniuscuiusque necessitates a communitate provideantur neque in iis ullum discrimen ratione personarum admittatur, nisi quoad ea quae speciales sive laboris sive valetudinis conditiones fortasse requirere videantur. Domus praeterea, sicut et cetera omnia, intra limites paupertatis et proximi aedificationis, bene disponantur ad vitam et laborem in ipsis cum gaudio et fructu gerendum. In hoc autem labore strenue exsequendo, unusquisque propriam responsabilitatem sentiat non solum erga spiritualem aedificationem confratrum, sed etiam erga eorum materiale sustentationem (5).

73. Vita communis, quam, divina vocatione ducti, amplexi sumus, familiae naturalis vincula officiaque ex eis promanantia supra firmiter validiusque spirituale funda-

1 PC 8.

2 ES, II, 26.

3 OT 11.

4 Reg. Com., c. VIII.

5 Reg. Com., VIII, 13; III, 3; DCG 4 2, 12°, 53, 5°.

mentum exstruit. Sodalit, etenim, intra limites ab obedientia et vita communi concessos, foveat illam cum propriis parentibus communicationem, quae dilectionem Dei in seipso et in illis accrescat. Imo et Congregatio cum parentibus sodalium spiritualem quamdam amicitiam et fraternitatem ineat: omnia autem secundum ordinem fiant.

## PARS QUINTA

### **De vita apostolica in Congregatione Missionis**

#### **Principia generalia de apostolatu**

74. Vita apostolica, qua Congregatio missionem Christi continuat et Ecclesiae munus participat in mundo huius temporis, testimonium exstat coram hominibus abundantiae caritatis erga Deum et erga proximum, quam ipsa haurit e sua vita consecrata, e sua vita spirituali et communi (1). Insimul tamen eadem vita apostolica fons est e quo ipsa eius vita consecrata, vita spiritualis et communis incrementum accipiunt. In natura enim Instituti apostolici est ut eius sodales quod abundantius hauriunt et abundantius tribuant; sed ex ipsorum labore eorum etiam unio cum Deo ferventior et profundior evadat (2).

75. Aspectus autem ecclesialis, seu manifestatio participationis Congregationis in actuositate apostolica Ecclesiae (3), ex eo elucebit quod nulla suscipiet opera nisi ea a Summo Pontifice aut ab Episcopis sibi fuerint commissa aut ab eis probata; eadem vero perficiet in plena communionem cum ipsis, in fraterna cooperatione cum clero dioecesano aliisque religiosis institutis, et in aperta collaboratione cum laicis, salva tamen semper sua indole suoque fine specifico. Maxime vero curabit ut in operibus apostolatus consideratio habeatur peculiaris con-

1 LG 42.

2 PC 8.

3 PC 8.

dicionis Ecclesiae localis, in qua singulae communitates ministerium exercent, ita ut singuli sodales in ea vivant et operentur omnibus omnia facti et cuiusque loci moribus et ingenio assimilati (1).

76. § 1. Evangelizatio pauperum, ad cuius plenissimam realizationem sese devovet Congregatio, multiplicibus operibus apostolatus multisque modis et mediis exercetur. Iuxta enim S. Vincentii verba, quidquid ad Evangelium effectivum reddendum inservit, Congregatio suscipere vocatur (2).

§ 2. In primis autem, apostolatus Congregationis, sicut et ipsius Ecclesiae, dirigitur ad nuntium Christi verbis et factis mundo patefaciendum gratiamque eius communicandam (3). Hic apostolatus principaliter per ministerium verbi et sacramentorum exercetur (4).

Iuxta Congregationis traditionem, partes praecipuae nostrae evangelizationis missiones sunt, sive ad populum christianum sive ad nondum credentes dirigantur (5), et etiam, eodem fere iure, opera quibus futuri Christi ministri in scientiis, virtutibus et pastoralis navitate efformantur vel presbyteri adjuvantur in vita spirituali et intellectuali colenda et in sacro ministerio exercendo (6); His autem accedunt paroeciae, praesertim missionariae, aliaque similia pastoralia opera quoties ea Congregationi ab Ordinariis locorum committantur (7).

§ 3. Cum vero ad ministerium salutis hominibus nuntiandum necesse sit integram hominis vitam etiam cum vocatione coelesti connexam terrenam quatenus curare (8), et cum Congregatio ad hoc se Deo devoveat ut pauperibus corporaliter et spiritualiter inserviat (9), eadem Congregatio actionem caritativam, ut sui apostolatus exercitium et officium, suscipit.

Inter huiusmodi caritatis opera adnumeranda est, in primis, directio Filiarum Caritatis, ad quam ex ipsa-

1 CD 35.

2 Coste, XII, 84.

3 AA 6.

4 AA 6.

5 Reg. Com., XI, 10.

6 Reg. Com., XI, 12.

7 CD 35, 1.

8 GE, Prooem.

9 Coste, VIII, 238.

rum institutione iam deputata est Congregatio (1). Similiter autem amplectenda sunt quae ad promovendam caritativam laicorum activitatem referuntur (2), quaeque ad diffusionem et amplificationem culturae et educationis respiciunt, cum persona hominis nonnisi per culturam ad veram plenamque humanitatem accedere possit (3).

§ 4. Et quamvis missio Congregationis, sicut et totius Ecclesiae, non sit ordinis politici, oeconomici vel socialis, sed religiosi (4), tamen, cum omnia quae efficiunt ordinem temporalem subsidio sint ad ultimum hominum finem assequendum ac proprium habeant valorem, a Deo eis insitum (5), Congregatio partem sumere et explere tenetur in apostolatu sociali, quo ager mundi melius pro verbi divini semine pareatur, prae oculis habendo quod in apostolatu sociali partes praecipuae, etsi non exclusivae, laicis obveniant; presbyterorum autem, cum Episcopis cooperantium, sit nuntium Christi ita praedicare ut omnes fidelium terrestres activitates Evangelii luce perfundantur (7).

77. § 1. Finis et spiritus Congregationis omnia eius apostolatus opera regere et informare debet, ita ut, ad Ecclesiae exemplum, Congregatio semper maneat in statu perpetuae conversionis ad speciem et formam quae eius pristinae imagini respondeat (9). Cum autem finis Congregationis totus sit in continuanda Christi missione quae potissimum in pauperum evangelizatione consistit, incepta omnia apostolatus sub ratione huius ministerii salutis assumenda et exercenda erunt, ita ut Congregatio re et spiritu in pauperibus salvandis et sanctificandis seipsam impendat et opera suo fini et spiritui non consentanea relinquat (10).

§ 2. Proinde Congregatio satagere debet ut qui, pro adiunctis locorum et temporum, veri pauperes sint,

1 Reg. Com., XI, 11.

2 Reg. Com., 1, 2.

3 GE, Prooem.; GS 53.

4 GS 42.

5 AA 7.

6 LG 36.

7 GS 43.

8 PC 2, b; 20.

9 Enc. Ecclesiam suam, AAS 56 (1964), 626-636.

10 PC 20; DCG 2.

recognoscantur, eosque omnes in conditionibus minus humanis versantes (1), peculiari modo sibi commendatos habeat (2), ad apostolatam suam inter ipsos prae ceteris exercendum (3). Eos omnes ad Christum eiusque Evangelium adducere contendet, ipsos docendo integram eorum vitam tam individuaalem quam sociaalem spiritu Beatitudinum imbuere, ut Regnum Dei ante omnia quaerentes, opus iustitiae, inspirante caritate, perficiant (4).

§ 3. Congregationi ergo, iuxta mentem et spiritum S. Vincentii (5) cordi erit sors ruricularum, qui, in pluribus regionibus, in conditione civium inferioris ordinis adhuc versantur (6); Ideo, in modernioribus inceptis apostolatus ruralis partes sumere contendet proprias methodos hodiernis sociologiae et technicae artis inventis accomodando et complendo.

§ 4. Eodem modo, Congregatio apostolatam exercere conabitur inter opifices aliosque qui bonis quibus indigent orbantur (7) vel detrimentum patiuntur ex aliquoties inhumana compositione et ordinatione navitatis oeconomicae et socialis (8) , sicut etiam inter eos qui a societate quasi exsulare coguntur, migrantes eorumque familias et operarios extra patriam commorantes.

§ 5. Cum autem paupertas aspectus non solum individuales, verum etiam collectivos assumat, ob ingentes inaequalitates vigentes inter nationes opulentas et minus valentes (9), et cum maior pars mundi tanta adhuc egestate laboret ut in pauperibus Christus ipse quasi alta voce caritatem suorum discipulorum evocet (10), conscia sit Congregatio officium sibi incumbere, pro sua tamen tenuitate et in campo sibi proprio, libenter et ex toto corde cooperandi cum populis progredientibus.

§ 6. Divites autem aliosque in societatem magnum influxum habentes, Congregatio, quando sese offerat occasio vel opportunitas id suadeat, adiuvere nitetur ut

1 Coste, XII, 86-90; AA 8.

2 PO 6.

3 Coste, XII, 81-82; IV, 183.

4 GS 72.

5 Reg. Com., 1, 1.

6 GS 66.

7 GS 9.

8 GS 67.

9 GS 8, 9, 85, 86.

10 GS 88.



sensum pauperum et spiritum paupertatis acquirant, et, quamvis facultates huius mundi possideant, tamquam non possidentes sint, et operibus caritatis libenter auxilium praestent, et ita in Regnum Dei intrare valeant (1).

78. Mundi quidem condiciones faciunt ut crebriores turbae a religione practice discedant (2). et tam multi, intimam ac vitalem coniunctionem hominis cum Deo ignorantes vel reicientes, in atheismum dilabantur (3). Inter quos non pauci pauperes adnumerandi sunt, illa atheismi et materialismi forma in primis attracti quae liberationem hominis, praesertim ex eius liberatione oeconomica et sociali, exspectat (4). Ideo Congregatio apostolatum suum diriget ad pauperes ab huiusmodi perniciosis doctrinis eruendos, imo ad ipsos contra eas praeveniendos (5).

79. Ut vita apostolica Congregationis sit vere fructuosa, e plenitudine vitae supernaturalis procedere debet 6: studeant ergo sodales in omnibus rerum adiunctis fovere illam vitam absconditam cum Christo in Deo (7) , e qua profluit et urgetur proximi dilectio in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem (8). Illa caritate erga Deum et homines impulsus, quae est anima totius apostolatus ", dum actioni apostolicae incumbunt, magis magisque quaerant omnes Christo vivere et Corpori eius, quod est Ecclesia; pro certo habentes quod, quo ferventius donatione sui, quae totam vitam complectitur, Christo coniunguntur, eo uberius fit vita Ecclesiae, et apostolatus eorum vegetius fecundatur (10).

80. Conscii quod sublimitas sit tantum virtutis Dei (11), in omnibus ministeriis suis - sed praesertim in ministerio Verbi- soli Deo placendi intentione sodales animari studebunt; ita ut in ipsis nullam praesumptionem vel vanam complacentiam admittant, quae actionem suam inficere ac depravare possit; ne forte eccidat, cum

1 AA 8; GS 69, 7 2, 88; Coste, XIII, 802-821.

2 GS 7.

3 GS 19.

4 GS 20.

5 GS 21.

6 PO 12.

7 Col 3, 3.

8 PC 6.

9 LG 33.

10 PC 1.

11 2 Co 4, 7.

magno quidem detrimento actionis Christi illis commissae, ut, quod spiritu coeperint, carne consumment (1).

81. Cum ex Instituto ipso teneantur cum proximo frequenter agere, sodales omnes vita revera evangelica, in multa patientia, in longanimitate, in suavitate, in caritate non ficta, testimonium reddant Domino, si necesse sit, usque ad sanguinis effusionem (2); conversationem inter homines habentes bonam, ut ex bonis operibus suis glorificetur Deus (3). Sedulo abstineant ab illis quae destruere possint id quod functionibus et ministeriis in Domino aedificaverint (4), et gratum animum erga Deum idcirco exhibeant, quod ipsos dicaverit operibus, quae Christus Dominus suae messianicae missionis signa esse voluit (5).

82. In omnibus tandem ministeriis suis, praesertim in missionibus, Dei sustinente gratia, Congregatio sit parata tribulationes et paupertatem gaudenter experiri s, exemplo Beati Pauli, qui, ne quem gravaret, ad ea quae sibi et sociis opus erant nocte et die suis manibus laborabat (7), omnia ministeria adimpleant sodales in spiritu laboris, sine animo lucri, propriis commodis renuntiantes, Regnum Dei et iustitiam Eius ante omnia quaerentes E.

83. Sodales, quo fructuosius ministerium verbi exercent, ad profundiolem in dies Scripturarum Sacrarum intellectum et amorem assequendum accedere satagant (9), quia in Sacris Litteris Pater qui in coelis est filiis peramanter occurrit eosque pascit (10).

84. Cum in sacra Liturgia insit fons et culmen totius actionis apostolicae, sodales in suis ministeriis intelligentiam de natura Liturgiae in fidelibus foveant et dispositiones excitent, quibus actiones liturgicas scienter, actuose et fructuose ipsi participant (11).

85. Congregatio in suis ministeriis, pro opportunitate, actio-

1 Reg. Com., XII, 2, 3.

2 AG 24.

3 1 Pe 2, 1 2,

4 Reg. Com., VII, 1.

5 AA 8.

6 AG 24.

7 Reg. Com., XI, 7

8 Reg. Com., IT, 2.

9 DV 23, 25.

10 DV 21.

11 SC 11

nem oecumenicam instituat in spiritu Ecclesiae (1); et tam in re religiosa quam in re sociali et culturali secundum normas ab ipsa sancitas, cum fratribus seiunctis collaboret (2). In fidelibus vero spiritum oecumenicum sodales nutriant et, in apostolatu apud illos exercendo, debitam considerationem fratribus seiunctis semper exhibeant atque fidem catholicam ita expriment ut nullatenus obstaculo sit dialogo cum eis ineundo (3).

86. Congregatio semper participet illam reverentiam quam erga conscientiam humanam habet Deus qui, vocatos homines ad serviendum Sibi in spiritu et veritate, adiuvat et adducit, non in coercitione, sed per gratiam Christi et in virtute Spiritus Sancti, ad illam sublimem ac perennem libertatem gloriae filiorum Dei (4).

87. In fidelibus Congregatio foveat intelligentiam de vera significatione et valore bonorum temporalium tum in seipsis tum quoad omnes fines personae humanae promovendorum (5), et ostendat insuper res terrestres et humana instituta, secundum Conditoris consilium, ad salutem hominum ordinari et ideo ad aedificationem Corporis Christi non parum conferre posse (6).

88. Variis mediis communicationis socialis, utpote quae multum conferunt ad Dei regnum propagandum ac firmandum (7) et praesertim ad ministerium verbi apte exercendum, sodales, prout rerum et temporum adiuncta exposcant, opportune et prudenter utantur (8).

89. Sub ductu Spiritus amoris qui, ubi vult spirans (9) Ecclesiam impellit ad mundum huius temporis adeundum, novas vias aperit et congruas apostolatus accommodationes suggerit ac fovet (10), attentis novis conditionibus praesertim spiritualibus et moralibus hominum (11), paratam se habeat Congregatio, per renovatam conscientiam sui ipsius, actionem suam apostolicam novis circums-

1 CD 16.

2 AG 15.

3 UR 13.

4 Rm 8, 21; DH 11, 15.

5 AA 31.

6 CD 12.

7 IM 2.

8 IM 13; CD 13.

9 Jo 3, 8.

10 PO 22.

11 CD 17.

tantiis mundi in quo laborat semper aptare (1), adeo ut, inter tot tantasque mundi mutationes, adaequatis et opportunioribus mediis, indesinenter valeat Christum praedicare (2).

### **De Missionibus ad populum**

90. § 1. Missiones ad populum christianum, quibus excellenti quodam modo Congregatio fini suo obsequitur, illa constituuntur extraordinariae curae pastoralis praxi, quae spiritualem renovationem tum collectivam tum individualement alicuius communitatis fidelium, pauperum praesertim, persequitur per exercitium triplicis muneris sacerdotalis docendi, sanctificandi et regendi.

§ 2. Nihil tamen impedit quominus unaquaeque missio, prout rerum adiuncta et populi christiani necessitates postulent, unum alterumve ex his finibus et exercitiis sibi attingendum proponat, vel ad specialem tantum coetum fidelium dirigatur vel per longius tempus protrahatur immo et quasi permanens evadat.

91. Missionarii, munus propheticum exercitantes, Christi Evangelium hominibus annuntiant, eos in Spiritus fortitudine ad fidem vocantes aut in fide viva confirmantes; integrum Christi mysterium ipsis proponunt, illas nempe veritates quarum ignorantia, Christi ignorantia est, itemque viam quae divinitus revelata est ad glorificationem Dei atque eo ipso ad beatitudinem aeternam consequendam (3). Quae omnia, per diversas praedicationis formas fieri possunt et debent (4).

92. Munus sacerdotale sanctificandi missionarii absolvunt cum in sacris celebrandis tamquam ministri agunt Eius qui suum sacerdotale munus per Spiritum suum iugiter pro nobis in Liturgia exercet. Curant ergo missionarii de populi christiani renovatione in vita liturgica et sacramentali, illum prae omnia docentes divinam victimam in sacrificio Missae Deo offerre atque cum ea oblationem suae vitae facere; fideles instituunt peccata sua corde contrito Ecclesiae sacramento Poenitentiae submittere, ita ut magis magisque in dies ad Dominum convertantur, Liturgiae celebrationes participare, spiri-

1 PC (3).

2 GS 10.

3 CD 12.

4 CD 13.

tum orationis acquirere et officia proprii status immo et evangelica consilia modo cuique proprio observare (1).

93. Quamvis munus Populum Dei regendi ex se non competat missionariis illud tamen auxiliari modo exercent quando fidelium congregationes ad christianorum officiorum adimpletionem revocant, renovatam coniunctionem fidelium cum suis pastoribus promovendo, singulos ad propriam vocationem secundum Evangelium excolendam et ad sinceram operosamque caritatem adducendo vel omnis generis vitales consociationes fovendo (2).

94. Cum vero missiones ad populum christianum sint opus totius Ecclesiae particularis sub directione Episcoporum et in fraterna missionariorum cum sacerdotibus et fidelibus communionem, nulla missio fieri potest sine vera et organica ipsius Ecclesiae particularis cooperatione. Quapropter necessarium est ut missiones ad populum in generali schemate (« Planificationis ») pastoralis communitatis christianae cui diriguntur inserantur et illi schemati plene cohaereant, et ut in missionibus nihil fiat sine mandato Ordinariorum loci et approbatione parochorum quorum intersit (3).

95. Verbis Sancti Fundatoris obediens, non debet Congregatio sub alterius operis pii, alioquin utilioris, pretextu, missiones umquam omittere; sed unusquisque sodalis toto animi affectu ad easdem se convertet; ita ut sit semper paratus ad missiones toties obeundas quoties eum obedientia vocabit (4).

### **De missionibus ad gentes**

96. § I. Activitas missionalis « Ad Gentes », seu munus Evangelium praedicandi et Ecclesiam plantandi inter populos vel coetus nondum in Christum credentes, (5), quae ad intimam Ecclesiae naturam pertinet (6) atque nostris diebus urgentius ab ipsa Ecclesia postulatur, menti Sancti Fundatoris apprime respondet, eo quod finem Congregationis intime attingit. Activitas enim missionalis nihil aliud est et nihil minus quam propositi

1 PO 5.

2 PO 6.

3 CD 17; 34; 35, 3, 4, 5.

4 Reg. Com., XI, 10.

5 AG 6.

6 AG 2.

Dei manifestatio seu Epiphania et adimplementum in mundo et in eius historia, in qua Deus, per missionem, historiam salutis manifeste perficit (1).

§ 2. Et cum haec activitas sit continuatio missionis Christi, qui pauperibus evangelizare missus est, sodalibus opportunam praebet occasionem, iuxta spiritum Congregationis, Christum sequendi eadem via ac Ipse processit, via nempe paupertatis, obedientiae, servitii et suis ipsius immolationis usque ad mortem (2). Quapropter omnes magni faciant donum ipsis datum, aggrediendi opus tanti momenti pro Ecclesiae aedificatione in mundo.

97. In opere missionis sodales fideliter observent normas ab Ecclesia traditas: curent ut formis exterioribus vitae populi regionis missionis se adaptent, sed ante omnia ut indolem religiosam populi assumant et ad perfectionem evangelicam reducant (3), curent etiam ut communitas christiana inde ab initio ita efformetur ut suis necessitatibus, quantum fieri potest, ipsa providere queat (4); iuxta vocationem Congregationis sedulo incumbant in formationem cleri localis (5) et in formationem apostolicam laicorum (6);

98. Ut opera Congregationis continuari possint in illis regionibus, curandum est Instituto nostro iuxta normas ut foveantur vocationes pro Instituto nostro iuxta normas traditas.

### **De Ministeriis Erga Clerum**

99. Presbyteri, Christo per sacramentum Ordinis configurati, ut ministri Capitis, et viva instrumenta actionis Eius sacerdotalis effecti, personam Christi gerunt (7), ut cum potestate ab Ipso participata exstruant (8) et sanctificent (9) et regant (10) Populum Dei tamquam Ordinis episcopalis cooperatores. Ecclesia, in maxima habens existimatione ministerium sacerdotale, cui partes maximi momenti et in dies difficiliore in prosequenda missione Christi

1 AG 9.

2 AG 5.

3 AG 9; 11.

4 AG 19.

5 AG 16.

6 AG 21.

7 PO 2, 12.

8 PO 4.

9 PO 5.

10 PO 6.

salvifica competere probe noscit (1), gravissimum institutionis sacerdotalis momentum proclamat (2). sollertemque curam omnibus mediis adhibet in efformandis sacris pastoribus.

100. § 1. Congregatio, per charisma suo Fundatori concessum, in Ecclesia electa est ut iam ab initio divinum munus (3) participaret institutionis sacerdotalis, cui rostris quoque diebus fidelis permaneat oportet, conscia quod tanti momenti operis, divina Providentia sibi concrediti, rationem Deo reddere tenetur.

§ 2. Maxima deditio et spiritu supernaturali proinde sodales, tamquam proximiores cooperatores Episcoporum (4), libenter incumbunt omnibus ministeriis quae institutionem cleri secundum perennem traditionem nostram vel novas temporum exigentias attingunt, tum in efformatione candidatorum ad ordines, tum in exercitiis spiritualibus clericis tradentis, tum in adiutorio sub multiplicibus formis aliis presbyteris praestando.

101. In seminariis maioribus praesertim, Congregatio operam suam Episcopis grato animo et iuxta possibilitatem praestabit, cum ab ipsis ad hoc vocata fuerit. In seminaristis autem sodales ita imaginem Christi Magistri, Sacerdotis et Pastoris nitentur efformare, ut illi possint hominibus ipsum Christum repraesentare (5). Pari cura, Congregatio, ubi ad hoc ministerium ab Episcopis vocata fuerit, foveat germina vocationis adolescentium et iuvenum in seminariis minoribus aliisque peculiaribus institutis quae, pro locorum adiunctis, huiusmodi fini inserviunt (6).

102. iuxta exemplum et spiritum S. Fundatoris, Congregatio nostra, ad illa ministeria pie et recte exercenda quae ad directionem seminariorum spectant, fideliter constanterque Ecclesiae leges et normas universales, Coetus Episcoporum et Ordinariorum locorum instructiones et proprias institutiones exacte observare studebit (7).

103. Magni quoque apud nos habendae sunt et diligenter

1 PO 1.

2 OT, Prooem.

3 Coste, XI, 8,

4 CD 29.

5 OT 4.

6 OT 3, 4.

7 Reg. Com., XI, 12.

promovendae ac renovandae illae associationes vel conferentiae cleri, a S. Vincentio suo tempore institutae et nunc ab Ecclesia commendatae, quae, per aptam et convenienter approbatam vitae ordinationem et iuvamen fraternum, sanctitatem sacerdotum et fructuosiore ipsorum apostolatam valde fovent (1). Sodales, istarum associationum directioni addicti, Christi sacerdotis spiritu imbutos aliis sacerdotibus se praebeant, et quaerant semper doctrinam suam testimonio propriae vitae corroborare.

### **De paroeciis**

104. § 1. Ministerium paroeciale, quod animarum ordinariam curam pastoralem secumfert, Congregatio, pro sua erga Ecclesiam disponibilitate libentissime eiusdem Ecclesiae voluntati obsequens, acceptare potest et aliquoties etiam debet, quando id ad maius animarum bonum ab Ordinariis locorum requiratur, praesertim in regionibus penuria cleri laborantibus (2).

§ 2. Curandum autem est ut in paroeciis acceptandis conservationi spiritus Congregationis apprime consulatur, ita ut illae paroeciae praeferantur quae vel pauperiores sectores dioecesium et civitatum curant vel caractere missionario insigniuntur. In omnibus tandem paroeciis, cuiusvis generis sint, spiritus Congregationis proprius manifestetur in speciali amore erga pauperes et in operibus iustitiae et caritatis promovendis (3).

105. Paroeciae Congregationi commissae, in sua ordinatione et pastorali navitate aptentur normis tam nationalibus quam dioecesanis de re pastorali coniunctim peragenda, et in his omnibus noster spiritus collaborationis cum Episcopis et clero dioecetano clare eluceat (4).

106. Quo melius appareat communitatis paroecialis unitas, inter Parochum eiusque Vicarios fraterna habeatur conversatio, mutuaque caritas et reverentia semper vigeat iisdemque consiliis, auxilio et exemplo sese invicem adiuvent, paroeciali curae concordii voluntate communique studio providentes (5). Omnes similiter nitentur

1 PO 8.

2 CD 35, 1; ES, 1, 33, 36.

3 CD 35, 1, 2.

4 CD 17; 35, 5, 6; ES, 1, 25; 29, 2; 30.

5 CD 30, 3.



presbyteris dioecesanis efficax adiutorium ad vitam sacerdotalem ducendam et exemplum apostolicae communitatis praebere (1).

### **De ministeriis erga Filias Caritatis**

107. Cum Congregatio, ipsa adprobante Ecclesia, ad Filias Caritatis dirigendas ex ipsarum institutione iam deputata sit, sodales sacra ministeria apud illas exercent (2), voluntati obsequentes S.Fundatoris, cui actio caritativa missionariorum per manus Filiarum Caritatis, mirabili dispositione Providentiae, videbatur quodammodo adimpleri (3).

108. Sodales, proinde, parati esse debent, quando a Superioribus deputati fuerint, ministeria erga Filias Caritatis libenter praestare, opem illis ferendo ut ipsae in perfectam caritatem crescant, secundum spiritum communis vocationis nostrae ad pauperes, ita ut magis in dies mysterio Christi et Ecclesiae imbuantur (4).

109. Superior Generalis Congregationis Missionis, ipso suo officio, tamquam Praepositus Generalis illarum, auctoritate pollet dirigendi Filias Caritatis (5); in hoc officio adiuvatur a Directore generali, pro tota Communitate; pro unaquaque vero Provincia, a Directoribus provincialibus.

### **De operibus educationis**

110. Gravissimum educationis [*sic*] momentum plene agnoscens et caritatis zelo accensa, Ecclesia ministerium docendi in scholis cuiusvis ordinis et gradus ut veri nominis apostolatatum habet, nostris quoque temporibus maxime congruentem et necessarium, simulque verum servitium societati praestitum (6).

111. Ideo Congregatio, voluntate divina particeps facta missionis Ecclesiae in mundo, cum gratiarum actione has functiones assumat oportet - quando et ubi necessitas Ecclesiae id postulet - docendi et educandi, quatenus coniunctas cum spiritu Fundatoris, qui omnibus mediis

1 PO 8.

2 Reg. Com., X; 1, 11.

3 Coste, VIII, 239.

4 LG 7; 45; 54; OT 9.

5 Const. F. C. 1954. 6

6 GE 8.

mentes et corda omnium spiritu Christi imbuere voluisset.

112. Adhibitis aptis subsidiis modernae paedagogiae et scientificae peruestigationis, sodales, simul ac humanas disciplinas impense tradunt, dotes físicas, morales et intellectuales alumnorum harmonice excolant, ut sensus responsabilitatis gradatim ab ipsis acquiratur et fructuose se inserere valeant in humanam societatem (1); meminerint tamen quod praecipua eorum cura debet esse ut alumni in cognitionem et dilectionem Dei incessanter crescant: quod sodales obtinebunt si, per aptatam catechesim et liturgicam actionem, eos in cognitionem Mysterii salutis introduxerint et in praxim vitae christianae et apostolicae (2).

113. Congregatio, igitur, documenta Magisterii ecclesiastici et instructiones particulares competentis auctoritatis, quae ad educationem spectant, fideliter secundans, ita semper erga alumnos sibi commendatos in hoc opere pastorali evolvendo se habeat, ut, dum progredientis aetatis condicionibus sicut oportet se aperit, ipsos ad civitatis terrestrii bonum efficaciter provehendum educet et ad servitium pro Regno Dei dilatando praeparet (3).

### **De Apostolatu Laicorum relate ad Congregationem Missionis**

114. § 1. Laici ex sua cum Christo Capite unione, lure et officio gaudent apostolatum exercendi ad evangelizationem et sanctificationem hominum et ad rerum temporalium ordinem spiritu evangelico perfundendum et perficiendum (4). Ideo Congregatio sincere laicorum dignitatem atque propriam, quam laici in missione Ecclesiae habent partem, agnoscat et promovebit, ipsos libenter audiendo et praesertim eorum charismata cum sensu fidei detegendo et fovendo (5).

§ 2. Insuper, laicorum adiutorium in ministerio Congregationis, sodales cum gaudio accipiant, laicis cum fiducia officia in servitium Ecclesiae pro opportunitate committendo tam in missionibus et paroeciis quam in seminariis et scholis, eorumque competentiam in diver-

1 GE 1.

2 GE 2, 4.

3 GE 8.

4 AA 2, 3.

5 PO 9.

sis campis humanae actionis agnoscendo ut simul cum ipsis signa temporum recognoscere queant (1).

115. Cum autem, inter apostolatus exercitia quae laicis tum singulis tum inter se consociatis commendantur, emineant opera caritatis et incepta assistentiae socialis (2), et Congregatio, vestigia Ecclesiae premens, haec opera ut suum officium assumpserit (3), ipsi Congregationi curandum maxime erit ut consociationes caritativae a S. Fundatore nobis transmissae, sicut et alias quae decursu temporis exortae sunt, floreat, mutatis conditionibus temporum aptentur, apostolatum suum cum fructu explicent et peculiare notas propriae spiritualitatis suis membris tradere valeant (4).

116. Sodales vero Congregationis, cum laicis agentes vel eorum associationes promoventes, ipsis agendi libertatem et spatium relinquunt, immo eos ut opera etiam sua sponte aggrediantur opportune invitent (5), congruas relationes laicorum cum Hierarchia foveant et de cooperatione et mutua coordinatione cum aliis associationibus in ambitu locali, nationali et internationali solliciti sint (6).

### **De aliis ministeriis**

117. Congregationi nostrae cordi erit adiuvere religiosos omnes, viros et mulieres, quippe qui pars praecellens sint in domo Domini, ad eorum spiritualem profectum in bonum totius Ecclesiae (7).

118. Insuper zelo gloriae Dei et animarum salutis succensa, Congregatio pro opportunitate et in spiritu sibi proprio, amplectitur alia apostolatus exercitia, uti sunt secessuum spiritualium directio, Verbi Dei praedicatio occasionalis, coetuum vel congressuum a studiis et spiritualitate celebratio, hebdomadae religiosae, librorum et ephemeridum editio, religiosae emissiones radiophonicae et televisificae, et alia quae ad Regnum Dei propagandum inserviunt.

1 PO 9.

2 AA 8, 9.

3 AA 8; Reg. Com., 1, 2.

4 AA 4, 25; DCG, 79-83.

5 PO 9.

6 AA 25, 26.

7 PO 6.

## Pars Sexta

### **De sodalibus Congregationis Missionis**

#### **De sodalibus in genere**

119. § 1. Sodales Congregationis Missionis sunt Christi discipuli qui, primum Seminarium Internum ingressi, praecipue postea consecrati Deo per professionem consiliorum evangelicorum, secundum doctrinam, mentem et instituta S. Vincentii, Ecclesiae missionem ad salutem pauperum in eadem Congregatione adimplere student.

§ 2. Sodales Congregationis Missionis possunt esse clerici et fratres.

120. Clerici, ad exemplum Domini Nostri Iesu Christi, Magistri, Sacerdotis et Pastoris, illam missionem adimplent per exercitium huius triplicis functionis in omnibus formis apostolatus, quae ad finem Congregationis assequendum inservire possunt (1).

121. § 1. Fratres, qui iam per Baptismum et Confirmationem participes facti sunt Christi muneris sacerdotalis, prophetici et regalis, una simul cum clericis vocationem apostolicam Congregationis participant (2). Eorum igitur actuositas in Congregatione ad eundem finem tendit ac vita et apostolatus clericorum, id est, ad pauperes evangelizandos.

§ 2. Officia et munera quae fratribus tribuuntur, cum vera responsabilitate ipsis committantur; immo in

1 OT 4.

2 LG 31; AA 2; PC 8.

rerum administratione partes etiam directivae, si opportunum visum sit, ipsis concedantur.

Omnia autem munia, de iudicio Superiorum, adire valeant, quibus Congregationi praesto adsint ingenii et animi sui dotes explicando. Propterea possint in actionibus liturgicis munus absolvere, in scholis docere, artes liberales et technicas exercere aliaque opera promovere quae, attentis locorum atque temporum adiunctis, fini Congregationis assequendo cedere videantur (1).

His operibus attendendo fratres, utpote Deo consecrati, praeclare ostendunt in solo spiritu evangelicarum beatitudinum mundum transfigurari Deoque offerri posse. Ideo in Congregatione sedulo operantes ad bonum Ecclesiae et animarum plurimum conferunt (2).

122. Cum Congregatio peroptet ut omnes sodales, clerici et fratres, arcte coniungantur in oratione, in vita et in operibus (3), sicut decet sodales in eadem familia suam consecrationem viventes, fraterna unio et mutua consensio in domibus nostris magis atque magis foveatur. Iura igitur et obligationes sodalium eadem sint, illis exceptis quae exercitium ordinis sacri eique adnexam iurisdictionem respiciunt. Quodvis discrimen in vita communi vitetur, et omnes participationem in consultationibus et in conventibus, iuxta Congregationis Constitutiones et Statuta, obtineant (4).

### **De sodalium formatione**

123. § 1. Sodalium nostrorum institutio eo ut sacerdotes et fratres formentur qui, tendere debet, spiritu S. Vincentii imbuti, idonei evadant ad vitam consecratam Congregatione Missionis ducendam simulque, pro sua cuiusque vocatione, ad opus evangelizationis, quo Christi missio continuatur, peragendum.

§ 2. Ad quod assequendum maxime curandum est ut debita vigeat coordinatio inter diversas institutionis rationes et omnes in finem pastorem conspirent; et organica unitas inter successiva formationis tempora servetur, ita ut alumni, pro ipsorum aetate ac progressu, gradatim et harmonice in virum perfectum perveniant.

1 DCG 53, c, d.

2 LG 31, 46.

3 PC 15.

4 ES, II, 27; DCG 53, e.

124. § 1. Cum verissimum sit naturam gratia non deleri sed perfici, institutio nostrorum primo prosequi debet personae humanae maturitatem, quae solidum fundamentum praebeat vitae christianae et consecratae, quaeque praecipue comprobatur in quadam animi stabilitate, in facultate ferendi ponderatas decisiones et in recta de eventibus et hominibus iudicandi ratione, necnon in responsabilitate ad vitae difficultates obeundas et superandas.

§ 2. Ad illam assequendam alumni propriam indolem recte componere assuescant, ad animi fortitudinem formentur et in universum illas virtutes aestimare discant, quae inter homines pluris fiunt et Christi ministros commendant, cuiusmodi sunt animi sinceritas, assidua iustitiae cura, promissis servata fides, in agendo urbanitas, in colloquendo modestia cum caritate coniuncta (1).

§ 3. Cura peculiaris impendatur praeterea in maturitate affectiva sodalium efformanda, ita ut, ad amorem Christi indivisum vocati, aptis praesidiis divinis humanisque adiuti, matrimonii renuntiationem ita intearare addiscant ut ipsorum vita et operositas ex caelibatu non modo ullum patiatur detrimentum, sed potius robur attingat ut ipsi altius animi corporisque dominium ac plenioris maturitatis profectum acquirant atque Evangelii beatitudines perfectius percipiant (2).

125. Attentis insuper principiis scientiae psychologicae, paedagogicae et didacticae, cura specialis habeatur in alumnorum mentibus fingendis iam ab initio, iuxta proprias cuiusque dotes et propensionem, ita ut humanisticis disciplinis et scientificae investigationi methodica consideratione, ductu moderatorum, studentes, altiores et utiles semper cognitiones, secundum suam vocationem, acquirant, et pariter promoveatur eorum facultas admirandi, intus legendi, contemplandi atque efformandi iudicium personale et excolendi sensum religiosum, moralem et sociale (3).

126. Super huiusmodi formatione humana, formatio innitatur qua omnes in Christo baptizati et Christum induti (4).

1 OT 11.

2 OT 10.

3 GS 59.

4 Ga 3, 27.

addiscere tenentur scientiam Christi, qui est via, veritas et vita, sine quo nemo venit ad Patrem (1). Edoceantur ergo sodales de mysterio Christi, ut Christum eiusque resurrectionis virtutem et societatem passionum profundius semper cognoscant et experiendo vivant. Et quia Congregatio cupit Christum imitari, omnes discant ea quae Divinus Magister verbo et exemplo docuit, et sint factores verbi et non auditores tantum (2).

127. § 1. Cum autem fidelitas erga Christum a fidelitate erga Ecclesiam seiungi nequeat, discant etiam mysterium Ecclesiae agnoscere et vivere, quae est Corpus Christi et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet. Ipsam conspiciant uti signum efficax eius praesentiae in mundo et ipsius missionis salvificae depositariam. Tamquam membra Ecclesiae eam amare discant et cum ea sentire, seipsos eius servitio devoventes iuxta vocationem Congregationis, ut totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem cuiusque membri, augmentum corporis faciat in aedificationem sui in caritate (4).

§ 2. Sollicitudinem autem erga universam Ecclesiam atque conscientiam de cooperatione praestanda iis regionibus, quae penuria cleri laborant, ita in se colant et excitent, ut missiones atque loca ubi eorum opera requiratur adire praesto semper sint (5).

128. Et quia nullum datur membrum, quod in missione totius corporis, partem non habeat, sed unumquodque sanctificare debet lesu in corde suo et spiritu prophetiae testimonium de lesu reddere (6), omnes, eo vel magis quod Congregatio est natura sua apostolica, spiritu apostolico imbuantur. Foveatur in eis sensus ad discernendas temporum necessitates et promptitudo ad subveniendum eis. Et ut tempus formationis sit vere initiatio ad vitam apostolicam et non tantum ad eam praeparatio remota, omnes, iam ab initio, pro sua

1 Jo 14, 6.

2 Jo 1, 22.

3 Eph 1, 23.

4 Eph 4, 16.

5 PO 10; ES, 1, 3, §§ 1-2.

6 PO 2.

quisque formatione et possibilitate, praxi pastorali per opportunas exercitationes initientur. (1)

129. Institutio spiritualis cum institutione humana, intellectuali et ecclesiali intime connectatur oportet. Doceantur proinde alumni ut, asceseos christianae et vincentianae principiis innixi, vitam spiritualem, iuxta normas alibi traditas, intense foveant, ita ut cum Christo unico Domino et Magistro intimam communionem assidue colant.

130. Supereminentem autem Iesu Christi scientiam atque Ecclesiae et animarum caritatem ii praecipue a sodalibus addiscant qui, vi sacri ordinis, sacerdotali officio publice pro hominibus nomine Christi fungentur. Curandum proinde erit ut qui ad Christi, Summi Sacerdotis et Boni Pastoris, configurationem speciali caractere vocantur, quam maxime intelligant et ament propriam vocationem, et mentes et corda tam praeclarae electioni conformare diligenter studeant, et ad perfectionem acquirendam peculiari modo iuventur, ut Christi sacerdotis viva instrumenta efficiantur. Doctrinali autem et pastoralis formatione ducantur, ut Mysterium Christi hauriant et experiendo vivant et cum aliis communicare efficaciter valeant, praesertim vero cum iis qui ad idem sacerdotium participandum vocati sunt, ad quos formandos sua vocatione deputantur.

131. § 1. Toto formationis tempore alumni nostri in maiorem semper aestimationem et amorem propriae ad Congregationem vocationis ducantur (2). In primis autem formentur ad cognitionem vitae et doctrinae S. Vincentii necnon historiae Congregationis non tantum exhortationibus et colloquiis, sed etiam per studia scientifico more peracta. (3)

§ 2. Maxima vero cura in eo ponenda est, ut Seminaristae et Scholastici spiritu Congregationis informantur (4), tum eas virtutes colendo in quarum professione vita consecrata consistit, tum in eas quae nostrae vocationis sunt propriae crescendo. Iam a primis formationis annis instituantur ad pauperes iuxta Instituti nostri spiritum

1 PO 21.

2 LG 47; OT 2, 3.

3 ES, II, 16; DCG 50, 1"; 95, 1°, 2°.

4 PC 2.



in visceribus Iesu Christi diligendos (1), utpote qui sibi speciali modo commendentur (2); ad iustitiam et caritatem non solum magni faciendas, sed etiam ad ipsarum opera exercenda (3) atque ad agendum cum Deo et cum hominibus in omni humilitate et mansuetudine (4), iis virtutibus ornati, quas Beatus Institutor veluti facultates animae Congregationis esse voluit (5).

§ 3. Vitae in communi agenda, qua facultatibus naturalibus et supernaturali dono caritatis cor unum et anima una omnes in Domino efficiuntur paulatim assuescant (6) eamque diligere addiscant. Sociam autem cum confratribus aliisque operariis evangelicis operam praestare incipiant (7) et ad artem fraterne convivendi necnon colloquii instituendi exercentur (8).

§ 4. Cum vero ad vitam in communi fructuose ferendam multum conferat ordinata rerum dispositio, disciplinam eiusque exigentias ex intima persuasione amplecti doceantur, utpote totius institutionis partem necessariam ad sui dominium acquirendum, ad solidam personae maturitatem promovendam et ad caritatis officia erga socios adimplenda (9). Disciplinae vero normae iuxta alumnorum aetatem ita applicentur ut ipsi, dum gradatim sibimetipsis moderari addiscant, libertate sapienter uti, sponte naviterque agere assuescant.

132. §1. Quamvis vita consecrata aliquam separationem a mundo requirat, caveatur tamen ut, animi recollectione firmiter servata, tota formatio eo etiam tendat ut sodales de hominum temporumque conditionibus deque Ecclesiae necessitatibus congruam cognitionem acquirant; hac ratione mundi huius aetatis adiuncta in lumine fidei sapienter iudicantes, atque zelo apostolico exardescentes, efficacius hominibus subvenire valebunt (10).

§ 2. Alumni igitur, iuxta propriam aetatem et locorum condiciones, sufficientes relationes cum suis coetaneis

1 PC 13.

2 PO 6; GS 1 et 42; LG 8; AG 12.

3 AA 8 et 31.

4 Eph 4, 2.

5 Reg. Com., II, 14; OT 8.

6 PC 15.

7 OT 9.

8 AA 29.

9 OT 11.

10 PC 2, d.

habere possint, et necessaria separatio a saecularibus utriusque sexus prudenter componatur cum congrua rerum humanarum experientia. Opportunas quoque relationes instituere valeant cum coetibus externis diversi generis, v. g., culturalibus, sportivis, et ceteris, ita ut aperti inveniantur erga formas culturae, civilizationis et mentalitatis, prout postulat ipsa nostra vocatio apostolica.

133. Quo melius Congregatio sua opera apostolica praestet et eius sodales ad plenam evolutionem personalem perveniant, optandum est ut formatio nostrorum ita perficiatur ut quisque, consiliis cum moderatoribus initis, in aliqua parte sive pastorali sive scientifica aut technica praecipue versetur. Visitorum erit curare ut sodales indole, virtute et ingenio apti, studiis altioribus in scientiis sacris aliisque, quae secundum apostolicas Provinciarum necessitates magis opportunae videantur, praeparentur (1).

134. Ad singulas Provincias vel ad consociatas spectat conficere plures Provincias inter se necnon certis temporibus recognoscere propriam formationis rationem, a Superiore Generali cum suo Consilio approbandam, quae praescriptiones Sanctae Sedis et normas generales Congregationis peculiaribus locorum adiunctis applicet (2). Ad hanc rationem conficiendam prae oculis habeant statuta Conferentiarum Episcopaliū cuiusque regionis.

135 § 1. Cum alumnorum institutio et a sapientibus legibus et maxime ab idoneis educatoribus pendeat, nostrorum moderatores et magistri ex optimis viris seligantur, atque solida doctrina, congrua experientia pastorali et peculiari institutione spirituali atque paedagogica diligenter praeparentur. Studeant autem ut collegialiter procedant, id est arctissimum spiritus et actionis consortium ineant et communitatem apostolicam et educativam constituent (3), organicam unitatem diversorum formationis aspectuum sincere quaerendo.

§ 2. Omnes denique sodales sibi persuasum habeant formationem nostrorum etiam ad ipsos pertinere, ideoque propriam adiutricem operam libenter praestent.

1 OT 18.

2 OT 1.

3 OT 5; Pius XI, *Ad catholici sacerdotii*, AAS 28 (1936), 37.

### **De vocationibus promovendis**

136. Caveant Visitatores pro sua quisque Provincia ut magis idonea suppeditentur et adhibeantur media ad vocationes vincentianas excitandas et excolendas, servatis tamen debita prudentia et normis a S. Sede et Ordinario loci traditis (1).

137. Sedulo promoveantur instituta aiique incepta pro iis qui maiori aetate divinam vocationem in nostra Congregatione sequuntur. Attentis autem rerum et locorum adiunctis, erigi possunt etiam Scholae Apostolicae, Seminaria minora et collegia vincentiana, in quibus alumni germina vocationis alere queant per educationem aetati consonam et aptam moderationem spiritualem. (2)

138. Alia subsidia, uti divulgare notitias, quaerere candidatos opera «Promotoris vocationum», praedicationibus et ministeriis erga iuventutem, et his similia ab omnibus sodalibus prudenter adhibeantur, perspecto semper bono Ecclesiae et Congregationis, necnon dono particulari a Spiritu Sancto animis concesso (3).

139. Meminerint denique sodales optimam commendationem in favorem nostri Instituti esse exemplum propriae vitae et zelum apostolatus (4).

140. Omnes, Superiores et sodales, de vocationibus ad statum fratrum fovendis solliciti sint. Instituta apta, ut Postulatus vel alia eiusdem generis, in domibus ad hoc idoneis constituentur et viris delectis solideque praeparatis committantur, ut formationi humanisticae, spirituali, doctrinali ac technicae candidatorum, priusquam Seminarium Internum ingrediantur, rite provideatur (5).

### **De seminario interno**

141. Seminarium Internum, per quod in Congregationem quis ingreditur, tempus est quo candidatus congruis studiis et exercitationibus gratiam vocationis excolere et firmare contendit intensiori formatione in spiritualitate vitae consecratae et vincentianae et, pro clericis, etiam sacerdotalis, ita ut aptus evadat ad plenam sui cooptationem in Congregationem.

1 PC 24.

2 OT 3; PC 24; DCG 49.

3 PC 24.

4 PC 24.

5 PC 12; DCG 53, 3º, a, b.

142. Ratio vitae in Seminario Interno eo tendere debet, ut seminaristae acquirant:  
 1° Congruam cognitionem et experientiam vitae Congregationis et partium ad quas exercendas in Missione Ecclesiae ipsa Congregatio vocatur;  
 2° Aptitudinem ad se Christo in eius membris totum offerendum, vitam consecratam spiritu apostolico imbuendo, actionem autem apostolicam spiritu religioso informando;  
 3° Propositum maturitate animi firmatum suam vocationem plene vivendi in una communione cum confratribus.

143. Quod ut assequantur, Seminaristae sedulo curabunt:

1° Studium et meditationem Evangelii totiusque Sacrae Scripturae, veluti fontis e quo norma hauritur ad Christum plenius sequendum, impensius fovere;  
 2° Ecclesiae mysterium et vitam, aptioribus modis, participare, ut exinde spirituale nutrimentum et vocationis firmamentum acquirant;  
 3° Doctrinam de vita consecrata per consilia evangelica, sub diversis aspectibus, nempe theologico, historico et canonico, cognoscere atque vivere;  
 4° Cognitionem peculiaris indolis, spiritus et munerum Congregationis acquirere fontes adeundo, praesertim vero vitam atque opera S. Fundatoris, necnon ipsius Congregationis historiam atque traditiones et pias praxes, quas spiritu Sancti Institutoris sedulo servare contendent, veluti totius familiae patrimonium (1);  
 5° Zelo et deditone illas functiones pastorales exercere, quibus Director opportunum iudicaverit ipsos applicare eo fine, ut simul vitam apostolicam Congregationis et proprias in hoc campo vires experiantur.

144. Plena formatio humana, christiana et religiosa Seminaristarum normis et subsidiis sanae psychologiae et paedagogiae fulciatur. Eorum autem institutio ita ordinetur, ut maturitas personae atque personalis responsabilitatis sensus in plenitudinem crescant per ampliorem cognitionem et formationem proprii characteris, qui

1 ES, II, 16.

totius institutionis et omnium virtutum est quodammodo fundamentum.

145. Fratres efformentur ad normas principiorum quae pro Seminaristis clericis edicuntur, attentis tamen peculiaris status exigentiis.

146. § 1. Ius admittendi adspirantes in Congregationem spectat, servatis servandis:  
1.º ad Superiorem Generalem, audito suo Consilio, pro tota Congregatione;  
2º ad Visitatores, audito suo Consilio, pro sua quisque Provincia.  
§ 2. Invalide admittuntur qui annos sexdecim nondum expleverint.

147. Seminarium Internum pro unoquoque incipit cum quis a Directore vel ab eius vicem gerente declaratur receptus. Ut de ipsa receptione constet, documentum conficiatur.

148. Tempus, modus, locus, duratio et interruptio Seminarii Interni unice reguntur iure particulari Congregationis.

149. § 1. Director Seminarii Interni a Visitatore, de consensu sui Consilii, nominatur et a Superiore Generali confirmatur.  
§ 2. Director curam immediatam Seminarii Interni gerit, sub auctoritate tamen Superioris agit in iis quae ad regimen domus spectant.

150. § 1. Ad pleniorum formationem spiritualem, intellectualem et affectivam Seminaristarum, convenit ut alii quoque confratres, peculiari cura ad hoc electi ac deputati, Directori cooperationem praestent, ita ut consociata opera figura vocationis vincentianae Seminaristis ditior appareat.  
§ 2. Huiusmodi cooperatores sub Directoris moderamine agere tenentur.

151. §1. Specialis cura ponatur in seligendis Directore Seminarii Interni eiusque cooperatores. Ipsi, scientia et virtute praestantes, sint etiam vocationis peramantes, prudentia rectaque observantia pollentes, animo aperto et ad dialogum propenso praediti. Ita poterunt communitatem fraternam alere, mutuam atque intimam cooperationem fovere et unumquemque Seminaristam in vias Domini discernendas dirigere et ad humanam et spiritualem maturitatem adducere.

§ 2. Opera praesertim Directoris, vigilanti cura, pro singulorum progressu, inquiratur de candidatorum recta intentione ac libera voluntate; de idoneitate spirituali, morali et intellectuali; de congrua physica et psychica valetudine, consideratis quoque dispositionibus a familia forsan transmissis. Expendatur quoque capacitas vitae consecratae et sacerdotalis onera ferendi, et Instituti nostri functiones rite et laudabiliter administrandi (1).

152. § 1. Tempore Seminarii Interni elapso, si iudicatur idoneus, seminarista admittatur ad professionem temporariam, secus dimittatur. Si autem dubium supersit de eius idoneitate, Seminarii tempus poterit a Visitatore, cum suo Consilio, prudenter prorogari.

§ 2. Iusta de causa Seminarista potest petere dilationem professionis a Visitatore. Hic autem, auditis moderatoribus, potest illam concedere et determinare eiusdem Seminaristae statum pro tempore dilationis.

## **De Scholasticatu**

### **De Natura et Fine**

153. § 1. Scholasticatus ordinatur ad completam formationem sacerdotalem tradendam iis, qui sacerdotium hierarchicum in Congregatione amplecti et exercere intendunt (2). Scholasticatus proinde ita ordinatus esse debet ut in eo integrum studiorum ecclesiasticorum curriculum peragi possit et candidatis illa institutio spiritualis, intellectualis et pastoralis tradatur (3), quae ipsos idoneos reddat ad fines Congregationis per sacerdotalium functionum exercitium adimplendos (4), et ideo veros missionarios efficiat qui securam valeant facere in Ecclesia praesentiam Christi signo messianici operis, quod in pauperum evangelizatione consistit (5).

§ 2. Scholastici acquirere contendant expeditam facultatem ad nuntium Christi verbis et factis patefaciendum et ad eius gratiam per ministerium verbi et sacramentorum tum fidelibus tum infidelibus communican-

1 OT 6.

2 ES, II, 34.

3 OT 4, 8.

4 ES, II, 33.

5 Lc 4, 18; PO 6; PC 2, b.

dam (1). Discant insuper futuros Christi ministros atque animarum pastores in scientiis, virtutibus et pastoralis navitate efformare (2), necnon presbyteros adiuvere in vita spirituali et intellectuali colenda et in sacro ministerio exercendo (3), atque actionem caritativam generoso animo aggredi, ut sciant fratribus compati, eorum indigentibus subvenire (4) et consociata opera caritatis et misericordiae, sicut incepta assistentiae socialis, promovere ac dirigere (5).

154. Scholasticatus vel totaliter post Seminarium Internum vel partim antea et partim postea peragi potest (6). In annis Seminarium Internum subsequentibus scholastici sunt sodales Congregationis.

155. § 1. Domus scholasticatus, prout necessitas postulet, potest esse vel propria unius Provinciae, vel pluribus Provinciis communis. Si pluribus Provinciis sit communis, ratio studiorum et regimen domesticum ex mutua conventionem Visitorum quorum interest conficiantur (7). § 2. Scholastici nostri possunt etiam ad scholasticatum alicuius Congregationis religiosae vel ad aliquod seminarium dioecesanum vel ad aliquam universitatem mitti, ut ibi studia ecclesiastica sequantur. Provideatur tamen ut etiam his in casibus scholastici vitam communem, iuxta Congregationis morem, ducant, et convenientem formationem vincentianam recipiant (8).

156. § 1. Disciplina Congregationis, speciali conditioni et aetati Scholasticorum accommodata, habenda est tamquam expressio earum relationum, quae inter ipsos intercedere debent ut personali ac activa omnium conspiratione ad aedificationem vincentianae familiae perveniatur.

§ 2. Regulae seu normae disciplinae sint ut paedagogus in Christum (9), ex amore eius fluentes, ad Ipsius Congregationisque amorem tendentes et ad integram formationem personae singulorum scholasticorum adducentes.

1 AA 6; OT 4; PO 4-5.

2 OT 5; AG 15-16; PO 11.

3 PO 8.

4 AA 31, c; PC 8, 13; AG 12; PO 6.

5 AA 8, 19.

6 DCG 41, 1°.

7 OT 7.

8 ES, II 37.

9 Ga 3, 24.

Ideo earum applicatio illa libertate et aptabilitate gaudeat, qua melius fini formationis consulatur.

§ 3. Instauretur in scholasticatu vitae verae familiae, quae vocationis gaudium nutriat, integram personae perfectionem foveat et fraternitatem sodalium Provinciae praeparet (1).

### **De Vita Spirituali Scholasticorum**

157. § 1. Prae oculis habendo quae de vita spirituali Congregationis et de formatione nostrorum in genere dicta sunt, scholastici magis in dies discant Iesum Christum Eiusque mysterium esse centrum vitae spiritualis et apostolicae ac legem Missionis (2). Studio ergo et meditatione de evangelicis documentis edoceantur (3), et ita vivant ut quasi ex experientia sciant fideles in illis initiare et perficere. Sciant etiam formationem intellectualem et omnium humanorum valorum integrationem plenum sensum et momentum obtinere, si simul progredientur cum intimiori cognitione Dei, amore Christi et Congregationis.

§ 2. Vitam orationis nutriant quae congruit tempori studiorum; quapropter unusquisque suum vitalem modum orationis acquirat, qui eum aptius ad familiaritatem cum Deo rebusque divinis ineundam conducat, ita ut studia vera pietate condiat et difficultates, quae tempore studiorum evenire solent, fortiter valeat superare (4). Meminerint virtutes, quas labor intellectualis requirit, ipsis optimam viam aperire ad Deum in studiis inveniendum; tempus autem studiorum magni pretii occasiones ipsis praebere, ut obedientiam responsabilis et experientiam personalem vitae consecratae et communis magis in dies acquirant.

§ 3. Vocatio ad Congregationem toto formationis decursu incrementum capere debet, ita ut ad plenam maturitatem perveniat ante susceptionem sacrorum ordinum. Oportet igitur ut progressus in ipsa continuus et aptus sit, cum vitali conscientia, tum ex parte moderatorum, tum ex parte alumnorum, de obligatione et necessitate in ea proficiendi.

1 PC 15; LG 42; Reg. Com., II, 12; VIII, 2, 9, 14.

2 Coste, XII, 130.

3 Reg. Com., c. II.

4 OT 8.



§ 4. Scholastici, qui adspirationibus et motibus sui temporis multum afficiuntur, tamquam viri spirituales iis respondere valeant. Valores mundi addiscant, sed fidem suam sedulo nutriant atque ipsum intellectum mysterio Christi magis in dies conforment, ne divortium inter humanam sapientiam et fidem paulatim instituatur.

### **De Formatione Scientifica**

158. Meminerint scholastici humanum intellectum sapientia perfici et Ecclesiam ab eis exigere ut «sint maturi in scientia» et ipsorum «doctrina sit spiritualis medicina Populo Dei); quam ob rem per totum scholasticus curriculum sint scientia peramantes et opus suum diligenti studio et rigore scientifico absolvant (1).

159. § 1. Generalis in studiis ecclesiasticis institutio scholasticos adiuvet ut christianam visionem mundi acquirant et solidum actuositatis apostolicae fundamentum ponant.

§ 2. Specialis vero formatio requiritur pro diversis Congregationis ministeriis recte obeundis eiusque initium iam ab incepto studiorum curriculo fieri debet. Attamen Visitatores et magistri scholasticorum caveant ne institutio generalis ullum detrimentum patiatur, immo profundior ac ditior evadat.

160. § 1. Studiorum ecclesiasticorum ratio sensum, ordinem atque finem pastoraalem accipiat a vividiori cum mysterio Christi et historia salutis contactu, ita ut omnes disciplinae, ex intrinsecis exigentiis proprii obiecti, in unitatem sacerdotalis institutionis conspirent.

§ 2. Huius autem mysterii studium, quod totam humani generis historiam afficit, in Ecclesiam iugiter influit et ministerio sacerdotali praecipue operatur, scholasticis proponatur iam a primo studiorum ecclesiasticorum limine et per congruum tempus protrahatur, ita ut etiam tota illorum vita spiritualis eodem animetur, ipsaque sacerdotalis vocatio magis firmetur (2).

161. § 1. Disciplinae philosophicae ac theologicae inter se apte componantur et concordia ratione ad apostolicum finem conspirent. Hic enim finis numquam obtinebitur, nisi seriis atque ordinatis studiis apostolici viri praeparentur.

1 GS 15; PO 19.

2 OT 14; 16; SC 16.

§ 2. Disciplina philosophica ita tradatur ut alumni, innixi patrimonio philosophico perenniter valido, manuducantur ad personalem cogitationem acquirendam. Haec philosophica perspectio ita attingat humanarum scientiarum progressum, ut vitalibus coeavorum hominum problematibus, illis praesertim quae maiorem exercent influxum, respondere valeat, universalem humanarum rerum visionem secundum rationes metaphysicas aperiat, viam ad studia theologica optime paret et ad fructiferum cum hominibus colloquium instituendum adducat.

§ 3. Disciplinae autem theologicae ita in lumine fidei sub Ecclesiae magisterii ductu exponantur ut scholastici, per accuratum studium fontium et per intellectualem inquisitionem, doctrinam catholicam e divina revelatione hauriant, profunde penetrent et in suae vitae spiritualis alimentum vertant, eam tueri atque hominibus communicare et explicare possint.

§ 4. Studio Sacrae Scripturae sedulo incumbant et peculiari diligentia ita instruantur ope accuratae exegeseos et congruentis synthesis doctrinalis, ut Dei verbum sit veluti anima universae theologiae.

§ 5. Ceterae disciplinae theologicae in hoc lumine perspectae ad altiorem fidei intellectum perducant et nexum mysteriorum inter se manifestent eorumque relationes ad urgentes quaestiones philosophicas et hominum difficultates solvendas ostendant (1).

### **De Formatione Pastoralis**

162. § 1. Ut sollicitudo pastoralis, quae institutionem sacerdotalem ac vincentianam informare debet, magis promoveatur, scholastici progredientem accipiant formationem pastorem tum in iis quae ad ministerium sacerdotale in genere pertinent, tum praesertim in iis quae peculiari ratione ministeria Congregationis vel cuiusque provinciae respiciunt (2).

§ 2. Haec institutio pastoralis tradatur tum per disciplinas, quae eidem operi pastorali subsidia afferre valeant, tum per exercitationes vel cursus breves a viris peritis gradatim explanatos, ratione habita studiorum

1 OT 15.

2 OT 19.

et progressus humani atque intellectualis scholasticorum.

163. § 1. Instituantur scholastici in catechesi et praedicatione, in sacra Liturgia sub diversis eius aspectibus et in administratione sacramentorum, in operibus caritatis et in quaestionibus, quae vitam sacerdotum magis afficiunt.

§ 2. Initientur cognoscendis spiritualitate et vita sacerdotum ut illis adiumentum dare possint in posterum. Accurate edoceantur de arte directionis spiritualis pro diversis christifidelium categoriis et, iuxta Ecclesiae voluntatem, addiscant etiam religiosos ac religiosas, praesertim vero Filias Caritatis, in via perfectionis moderari, ut in sua vocatione perseverent et secundum cuiusque instituti spiritum proficiant (1).

§ 3. Apostolicam actionem laicorum excitare et efficaciores apostolatus formas hominum exigentiis consonas promovere, necnon associationes Congregationi commissas fovere atque aptare discant. Dotes, quae ad dialogum cum hominibus valde conferunt, ipsi excolant; nam ministerium pastorale natura sua dialogum postulat (2).

164. § 1. Faventes spiritui caritatis et christianorum unitati tam vehementer a Christo optatae, oecumenismi problemata cognoscant ut pro opportunitate, benevolum instituant dialogum cum fratribus separatis (3).

§ 2. De Ecclesiae Congregationisque activitate missionali ad gentes certiores fiant, ut cognitio fundamentalis doctrinae Ecclesiae eiusque voluntas quoad activitatem missionalem clarae ipsis videantur, istius navitatis historia in Ecclesia et in Congregatione, necnon conditiones actuales missionum plene comperiantur, ut etiam deditio personalis missioni ad gentes inter scholasticos excitetur ac promoveatur; illi autem, qui ad tantae missionis gratiam vocati sunt, sui futuri laboris solidum fundamentum struant (4).

165. Utendi instrumentis communicationis socialis, quae tantam vim habent ad movendos hominum animos, non modo scholastici debitas occasiones habeant, sed etiam

1 OT 19; Reg. Com., XI, 11.

2 OT 19; *Eccl. suam*, AAS 56 (1964), p. 635.

3 OT 20; AG 23, 26; AA 6.

4 IM 13, 16; SC 20; AG 19, 36.

edoceantur quomodo illa media ad finem apostolatus apte et fructuose applicentur.

166. § 1. Exercitationes imo et experimenta apostolica, ut institutio pastoralis sit non tantum theorica et remota sed potius ad cognitionem rerum tum vitae hominum tum Congregationis perveniat, iam ab initio studiorum omnino necessaria habenda sunt; quae gradatim compleri oportet iuxta normas generales apostolatus, characterem proprium Congregationis et peculiaria cuiuscumque Provinciae ministeriorum adiuncta.

§ 2. Hac initiatione pastorali non modo tempore feriarum sed etiam studiorum curriculi tempore scholastici donari possunt, ut ipsorum vita spiritualis et vocatio apostolica ex propria responsabilitate consociataque opera illorum qui iam in ministerio laborant magnum incrementum accipiant (1).

### **De Directore Scholasticorum ceterisque Moderatoribus**

167. § 1. Scholasticorum institutio sub auctoritate Superioris immediate committatur Directori, cuius munus sit simul cum Superiore ceterisque educatoribus alumnorum animos informare ad consentaneos fines assequendos. Scientia et virtute pollens, iis etiam dotibus gaudeat humanis et spiritualibus, quibus possit scholasticorum communitatem animare et fraternam cooperationem fovere.

§ 2. Vigilanti cura, pro singulorum aetate et progressu, inquiratur de recta intentione ac libera voluntate erga sacerdotium et Congregationem, de idoneitate spirituali, morali et intellectuali et de capacitate sacerdotalia onera ferendi officiaque pastoralia in Congregatione exercendi. Quae omnia ita fiant ut eorum formatio, quamvis in ambitu totius communitatis detur, vere personalis evadat (2).

### **De Praefecto Studiorum deque Professoribus**

168. § 1. In scholasticatu, si necessarium videatur, sit Praefectus studiorum, cui committatur munus recte disponendi ea quae ad felicem studiorum exitum spectant.

§ 2. Simul cum Superiore, cum Directore scholastico-

1 OT 21.

2 OT 7.

rum et cum ceteris educatoribus, provideat ut ordo studiorum conficiatur, qui omnes normas generales ad peculiaria adiuncta accommodet et recte compleat; curet de methodo didactica sequenda, ut extra scholas tempus provideatur alumnum activitati personali et mutuae cooperationi. Sub responsabili ductu professorum specialem campum scholastici sibi invenire curent, iuxta uniuscuiusque dotes et indolem, et aptius, quamvis remote, ad futurum ministerium se praeparent.

§ 3. Munus Praefecti studiorum potest cumulari cum officio Superioris vel Directoris scholasticorum.

169. § 1. Visitor, cuius erit magistros nominare, audito suo Consilio, illos seligat, qui aptiores habeantur ad munus educandi atque docendi fungendum, attentis semper peculiaribus scholasticatus nostri adiunctis.

§ 2. Professores disciplinarum ecclesiasticarum memores sint se docere ex missione ab Ecclesia et a Congregatione accepta; ideo magisterio ecclesiastico obsequium praestent (1).

### **De Admissione ad Ordines**

170. Visitoris ius et officium est nostros ad Ordines admittere, auditis moderatoribus, et, si de maioribus Ordinibus agatur, de consensu sui Consilii; necnon Episcopis praesentare cum litteris dimissoriis ad normam iuris.

### **De continuo profectu sodalium**

171. Post vota emissa et sacerdotium receptum, clerici diligenter incumbere pergant propriae formationi personali, praesertim studio culturae spiritualis, doctrinalis, professionalis et technicae, quo magis in dies erudiantur atque aptiores fiant ad munera Congregationis sibi commissa perficienda (2).

172. § 1. Visitatores de specifica formatione clericorum memores sint cum agitur de muneribus ipsis committendis, eosque quantum fieri potest, in operibus pro quibus magis parati sunt relinquunt. Priusquam, pro sua prudentia et perpensis informationibus a moderatoribus acceptis, fratres operibus destinant, prospiciant ut ipsorum institutio, praesertim professionalis et technica,

1 OT 16.

2 PC 18.

compleatur et, si opus sit, congruentibus titulis fulciatur ad munera et officia recte persolvenda (1).

§ 2. Videant Visitatores cum suis Consiliis de opportunitate instituendi in suis Provinciis, vel simul cum aliis Provinciis, tirocinium pastorale peragendum in domo huic operi apte destinata.

173. Per totam vitam fratres sedulo satagant institutionem humanam, spiritualem, doctrinalem, professionalem atque technicam in dies augere. Superiores autem, pro viribus opportunitatem, tempus et adiumenta ipsis praebeant (2).

### **De egressu e Congregatione (3)**

174. Expleto tempore professionis temporariae, sodales libere possunt Congregationem deserere (4).

175. Sodales legitime egressi (5) vel ad normam iuris dimissi et a votis dispensati (6), ab omni obligatione a votis proveniente liberantur et omnio a Congregatione separantur; si sunt clerici, iure communi clericorum reguntur. Confratres meminerint eos fuisse ex nostris et caritate, comprehensione et adiutorio prosequantur.

176. Sodales qui e Congregatione illicite egrediuntur, normis iuris communis subiciuntur (7); Superiores tamen debent eos sollicite requirere et ipsos, si vera poenitentia acti redeant, paterna benignitate suscipere.

177. Sodales qui a S. Sede vel a Superiore Generali obtinuerunt indultum vivendi extra vitam communem (i. e., exclastrati) sunt de iure membra Congregationis cum obligationibus et iuribus iuxta Statuta, et Superiores debent erga ipsos sollicitudinem et fraternam caritatem exercere (8).

1 ES, II, 35; PC 18; DCG 53, 3°.

2 PC 18; DCG 53, 1°.

3 Art. 279-285; Ius Part. p. 75.

4 Art. 280; can. 637.

5 Art. 281.

6 Art. 282-284.

7 Art. 279; can. 645 et 2386; Resp. 3 iun. 1918, Comm. C. 1. C. interp.

8 Ius Part. C. M., p. 75.

## PARS SEPTIMA

### **De regimine Congregationis**

#### **De Principiis Generalibus ad regimen Congregationis Missionis spectantibus**

178. Auctoritas, secundum exemplum Boni Pastoris qui venit animam suam pro ovibus ponere, apud nos exerceatur ad finem proprium adimplendum; ideoque omnes qui exercent auctoritatem se aestiment ministros Communitatis ad promovendam, iuxta spiritum nostrum, veram communionem vitae et apostolatus (1).

179. § 1. Conventus, Superiores et Consilia munus sibi commissum in regimine expleant cum participatione, suo quaeque modo, sodalium omnium pro bono totius Congregationis (2).

§ 2. Pro quocumque officio in Congregatione designetur confrater magis idoneus. Itaque quo praestantius est munus in Congregationis regimine, eo potior requiratur capacitas, nulla personarum acceptione facta. (3)

180. In omnibus gradibus auctoritatis principium subsidiariorum semper praevaleat; Superiores proinde cuiusvis gradus opportunis facultatibus muniantur, ne inutiles vel nimis frequentes recursus ad altiores auctoritates multiplicentur (4).

1 Jo 10, 11; LG 27; PC 14.

2 PC 14.

3 can. 459.

4 ES, II, 18.

181. § 1. Congregatio Missionis cum suis domibus et ecclesiis omnesque sodales privilegio exemptionis ab Ordinariorum locorum iurisdictione ex speciali Apostolica concessione gaudet, praeter quam in casibus a iure expressis (1), eo quidem fine ut melius in interna Instituti ordinatione omnia sint inter se apta et connexa meliusque perfectioni fraternae conversationis consulatur necnon ut de ipsa disponere possit Summus Pontifex in bonum Ecclesiae universae (2).

§ 2. In suis ministeriis exercendis Congregatio, Ordinariorum locorum potestati subest ad normam iuris, illis reverentiam et oboedientiam exhibendo (3) circa ea quae ad pastorale munus perfungendum et animarum curam ordinandam referuntur (4).

### **De regimine generali**

182. § 1. Congregatio regitur a Superiore Generali, penes quem residet suprema auctoritas ordinaria exercenda quidem ad normam iuris communis et particularis nostri in totam Congregationem, id est in omnes provincias et viceprovincias, domos et singulos sodales (5).

§ 2. Superior Generalis tamen subest auctoritati Conventus generalis ad normam iuris (6);

183. Superior Generalis in regenda Congregatione adiuvatur ab Assistentibus generalibus, ita tamen ut apud ipsum sit facultas decernendi quae agenda sunt, exceptis casibus a iure communi et particulari nostro expressis (7), et in expediendis negotiis tamquam cooperatoribus utitur aliis officialibus, qui omnes curiam generalem constituunt.

### **De Provinciis et Viceprovinciis**

184. § 1. Congregatio in Provincias et Viceprovincias dividitur, territorialibus limitibus circumscriptas (8).

§ 2. Provincia est plurium domorum coniunctio par-

I Art. 9, § 1; can. 613, 615.

2 CD 35, 3.

3 Reg. Com., V, 1.

4 CD 35, 2.

5 can. 502.

6 Art. b, § 1 et 2.

7 Art. 7; can. 516, § 1.

8 Art. 13; can. 488, 6°.



tem Congregationis constituens, cui praeest Visitator potestate ordinaria propria (1).

§ 3. Viceprovincia est plurium domorum coniunctio quae originem ducit ex alia provincia iam plene constituta, a qua dependet et cum ea aliquid totum efformat, et regitur a Vicevisitatore sub directa et immediata potestate Visitoris provinciae cui coniungitur (2).

§ 4. Provinciae vel Viceprovinciae regimen interinale, si casus ferat, assumere potest, ad normam Statutorum, ipse Superior Generalis et concedere Commissario.

185. Provinciarum seu Viceprovinciarum constitutio, coniunctio, divisio aliacumque circumscriptio et suppressio pertinet ad Superiorem Generalem cum voto deliberativo sui Consilii ad normam iuris. (3)

### **De Domibus**

186. Quod in Constitutionibus et Statutis Congregationis edicitur pro Provincia, valet, positus ponendis, etiam pro Viceprovincia, nisi aliter expresse caveatur in ipsis Constitutionibus et in Statutis, vel in particularibus statutis et conventionibus cuiusque viceprovinciae.

187. § 1. Erectio et suppressio domorum pertinet ad Superiorem Generalem de consensu sui Consilii, praehabita quidem licentia ad normam iuris communis (4).

§ 2. In erectione et suppressione domorum, Superior Generalis cum suo Consilio non procedat, nisi audito Visitatore vel Vicevisitatore cum Consilio (5).

§ 3. Singulae domus a Superiore locali reguntur.

188. Constituendae novae domus permissio ab Ordinario loci data secum fert facultatem habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui adnexum ad normam iuris (6);

189. Superior Generalis de consensu sui Consilii et auditis Visitoribus quorum intersit, ius habet:

1° sodales ab una domo in aliam transferendi;

1 Art. 14, § 1, 107; can. 488, 6°.

2 Art. 14, § 2; 15, 2°; 113, § 2.

3 Art. 16, § 1; can. 494, § 1.

4 Art. 18, § 2; can. 496, 497, § 1, 498; ES, 1, 34, 1.

5 Art. 18, § 2.

6 Art. 18, § 3; can. 497, § 2.

2° gravi de causa, domum unius Provinciae territorio alius erigendi (1).

190. § 1. Superior Generalis de consensu sui Consilii, iusta de causa, erigere potest domos, quae a nulla Provincia dependent et quae reguntur a Superiore locali sub directa dependentia a Superiore Generali qui eum, de consensu sui Consilii, nominat et confirmat.

§ 2. Sodales harum domorum ad Provinciam a qua sumuntur pertinent, et in ea retinent vocem activam et passivam; Superior autem non interest, ex officio, Conventui provinciali.

## **DE OFFICIIS CONGREGATIONIS**

### **De Superioribus in Genere**

191. § 1. Superiores omnes, rationem pro animabus sibi commissis reddituri (2), voluntati Dei in munere explendo dociles, in spiritu servitii pro fratribus auctoritatem exerceant, ita ut caritatem qua Deus illos diligit exprimant (3), et induant exemplum Christi qui non venit ministrari sed ministrare (4).

§ 2. Proinde subditos regant qua filios Dei et cum respectu personae humanae, illorum voluntariam subiectionem promoventes. Sodales eo perducant ut in muneribus obeundis et in inceptis suscipiendis activa atque responsabili obedientia cooperentur. Itaque Superiores libenter sodales audiant necnon eorum conspirationem ad bonum Congregationis et Ecclesiae promoveant, firma tamen sua auctoritate decernendi et praeciendi quae agenda sunt (5).

192. Omnes Superiores Consultores habeant (6).

Cum autem ius statuit Superiores ad agendum indigere consensu vel consilio: tunc, si consensus exigitur, Superior contra Consultorum plura suffragia agens, invalide agit; si consilium tantum exigitur, e. g. «de consilio» aut «audito consilio», satis est ad valide agendum ut Superior Consultores audiat; et quamvis nulla

1 Art. 10.

2 He 1(3), 17.

3 PC 14.

4 Mt 20, 28.

5 PC 14.

6 can. 51(6), § 1.

teneatur obligatione accedendi ad eorum consilia, multum tamen eisdem concordibus deferat, nec ab eis sine praevalenti ratione discedat (1).

193. Conventus generalis, Superior Generalis, Visitatores provinciarum, Vicevisitatores, Superiores domorum, in subditos, praeter potestatem dominativam et illam quae a voto obedientiae profluit, iurisdictionem quoque ecclesiasticam habent tam pro foro interno quam pro foro externo, utramque exercendam ad normam iuris communis et particularis nostri (2).

194. Superiores ea gaudent auctoritate quae intra fines sui muneris ad normam iuris communis et particularis nostri, comprehenditur (3).

195. Superiores maiores, qui ad normam iuris veniunt nomine Ordinarii Congregationis, possunt notarios constituere pro negotiis ecclesiasticis nostrae Congregationis, necnon iudices, e nostris eligendos pro eiusdem tribunalibus (4).

196. Superiores tenentur notitiam et executionem decretorum Sanctae Sedis quae Congregationem nostram respiciunt suos inter subditos promovere (5).

## **DE OFFICIIS IN CURIA GENERALI**

### **De Superiore Generali**

197. Superiori Generali coniuncta tota Congregatio perpetuet missionem Sancti Vincentii in servitio Ecclesiae universalis. Superior Generalis proinde tali sollicitudine gubernet Congregationem ut charisma S. Vincentii sit semper vivum in Ecclesia. Quamvis diversa sint ministeria et usus iuxta exigentias et adiuncta Ecclesiarum localium, Provinciae omnes et confratres videant in Superiore Generali fundamentum visibile fontemque constantem unitatis (6);

198. Superior Generalis eligitur a Conventu generali ad duas tertias partes suffragiorum ad normam iuris Congrega-

1 Art. 10, §§ 1-3; can. 105, 1°.

2 Art. 8; can. 501, § 1.

3 Art. 6, § 3; can. 502.

4 Art. 11; can. 198, § 1; 488, 8°; 502.

5 Art. 12; can. 509.

6 LG 13, 23.

tionis ad annos sex et semel reeligi potest ad sexennium (1).

199. Ad validitatem electionis, praeter requisita a iure communi, requiritur ut Superior Generalis:

1° in Congregatione saltem duodecim annos expleverit post professionem perpetuam;  
2° caractere episcopali non sit insignitus, nec officium gerat Vicarii, Praefecti aut Administratoris Apostolici (2).

200. Superior Generalis additiones, mutationes vel derogationes sancire non potest in Constitutionibus, nec authentice interpretari; valet vero usualem interpretationem dare (3).

201. Cessat Superioris Generalis officium per electionem successoris sui acceptatam, per ipsius renuntiationem legitime acceptatam a Sancta Sede, aut per eius depositionem a S. Sede decretam (4).

202. Vacante quacumque de causa munere Superioris Generalis:

1° Assistentes, etiam illi qui officium Vicarii generalis et Admonitoris generalis tenent, in munere manent sed tantummodo usque ad electionem et acceptationem omnium novorum Assistentium in proximo Conventu generali; Secretarius generalis autem usque ad electionem et acceptationem novi Secretarii;

2° Oeconomus generalis et Procurator generalis apud Sanctam Sedem in munere manent usquedum novus Superior Generalis de consensu sui Consilii alios nominet, nisi illos confirmet.

### **De Vicario Generali**

203. Vicarius generalis Superiori Generali proxime adhaeret, illumque absentem vel impeditum in suo munere supplet ad normam iuris.

204. Vacante quacumque de causa officio Superioris Generalis, Vicarius generalis usque ad novum Superiorem

1 Art. 20 et 74-80; can. 505.

2 Art. 21; can. 504.

3 Art. 25; Ius Part., p. 12 et 25.

4 Art. 26; Ius Part., p. 26.

Generalem electum, Congregationem gubernat, servatis servandis.

205. Vicarius generalis eligitur unus ex Assistentibus, ad plura absolute suffragia a Conventu generali ad sex annos et semel reeligi potest, salvo praescripto art. 20 (2), 1°, Constitutionum.

206. Si cesserit a munere suo, novus Vicarius generalis eligitur ex Assistentibus, ad plura absolute suffragia, a Superiore Generali cum suis Assistentibus.

### **De Assistentibus Generalibus**

207. Assistentes generales Consilium Superioris Generalis constituunt; ex eorum activitate et peritia quamplurimum pendet, ut unitas et vis Congregationis promoveantur, decisiones Conventus generalis ad effectum deducantur omnesque Provinciae in operibus Congregationis promovendis collaborent.

208. Sint viri exemplares et obsequii divini zelatores; in rebus Congregationis bene versati; studio Institutum eiusque; spiritum conservandi atque promovendi ardentis (1).

209. Assistentes generales ad plura absolute suffragia eliguntur a Conventu generali octo numero per sex annos, salvo praescripto art. 20 (2), 1°, Constitutionum, et semel reeligi possunt iuxta modum Statutorum nostrorum (2). Requiritur ad validitatem ut ipsi saltem decennium post professionem perpetuam in Congregatione exegerint (3).

210. Assistentes in eadem domo qua Superior Generalis residere debent; semper et necessario saltem quatuor sint praesentes, ut Consilium Superioris Generalis componant (4).

211. § 1. Si quis ex Assistentibus a munere cesserit, substitutus nominatur a Superiore Generali cum voto deliberativo aliorum Assistentium; ipse substitutus eadem iura et obligationes ac alii Assistentes habet.

§ 2. Sed si tantum inter sex menses Conventus gene-

1 Art. 38, § 3.

2 Art. 35-37, 83, § 2.

3 Art. 38, § 2.

4 Art. 39.

ralis haberi debeat, Superior Generalis non tenebitur nominare substitutum (1).

212. Cessat Assistentium Generalium officium per electionem et acceptationem eorum qui illis succedere debent, per renuntiationem legitime acceptatam a S. Sede, aut per depositionem a Superiore Generali cum consensu aliorum Assistentium decretam, accedente beneplacito Sanctae Sedis (2).

### **De Admonitore Superioris Generalis**

213. Admonitor Superioris Generalis erit unus ex Assistentibus, excluso Vicario generali, et eligitur ab ipsis Assistentibus ad plura absolute suffragia (3).

### **De Secretario Generali Congregationis**

214. Secretarius generalis Congregationis eligitur ad plura absolute suffragia a Conventu generali ad sex annos, salvo praescripto art. 20 (2), 1º, Constitutionum, et semel reeligi potest (4).

215. Si cesserit a munere suo, substitutus nominatur sicut fit pro substitutione Assistentium generalium.

216. Secretarius generalis Congregationis, qui debet esse communi bono Congregationis peraptus et eiusdem rebus bene versatus (5) :

1º ius habet assistendi Conventui generali cum iure suffragii (6);

2º ex munere intervenit deliberationibus Consilii generalis ad eiusdem acta describenda, tamen sine suffragio (7).

### **De Oecono Generali**

217. Oeconomus generalis nominatur a Superiore Generali de consensu sui Consilii, et ad nutum eius in munere manet. Nec sit ex numero Assistentium generalium (8).

1 Art. 41, §§ 1-2.

2 Art. 4 2, §§ 1-2; Ius Part., p. 42.

3 Art. 44 et 83, § 2; Ius Part., p. 43.

4 Art. 46.

5 Art. 45.

6 Art. 47, § 2.

7 Art. 48.

8 Ant. 50.

218. Oeconomus generalis qui de spiritu caritatis et paupertatis observando et promovendo sollicitus esse debet et in administrandis bonis peritus:

1° bona Congregationis administrat ad normam iuris communis et particularis nostri (1);

2° Conventui generali intervenit cum iure suffragii (2);

3° Consilio generali cum Assistentibus interest si vocatur a Superiore Generali ad referendum pro negotiis ad suum officium pertinentibus, tamen sine suffragio (3).

### **De Procuratore Generali apud Sanctam Sedem**

219. Procurator generalis apud Sanctam Sedem nominatur a Superiore Generali de consensu sui Consilii et ad nutum eius in munere manet. Nec sit ex numero Assistentium (4).

220. § 1. Procurator generalis apud S. Sedem, sub directione Superioris Generalis, negotia Congregationis apud S. Sedem pertractat (5).

§ 2. Conventui generali intervenit cum iure suffragii (6).

§ 3. De mandato scriptis dato Superioris Generalis officio postulatoris generalis Congregationis fungi poterit in Curia Romana ad normam iuris (7).

## **DE OFFICIIS IN ADMINISTRATIONE PROVINCIALI**

### **De Visitoribus deque Vicevisitoribus**

221. Visitor est Superior maior, ordinarius, cum potestate ordinaria propria, qui alicui Provinciae praeficitur ad eam regendam ad normam iuris communis et particularis nostri, sub dependentia Superioris Generalis (8).

222. Visitor, de actuosa omnium participatione in vita et apostolatu Provinciae sollicitus, copias et sodales impendet ad servitium Ecclesiae in Ecclesia locali. Ministerium domorum foveat, erga profectum personalem et

1 Art. 49, 50.

2 Art. 5 2, § 1.

3 Art. 5 2, § 2.

4 Art. 54; can. 517.

5 Art. 53, § 1.

6 Art. 58.

7 Art. 59.

8 Art. 107; Ius Part., p. 31.

activitates singulorum sollicitum se praebeat, communionem vitalem procurans (1).

223. § 1. Visitator nominatur ad annos sex a Superiore Generali de consensu sui Consilii, facta tamen amplissima consultatione, ita, ut sodales Provinciae indicare possint Superiori Generali nomina quorundam, quos ad hoc officium magis idoneos aestimaverint.

§ 2. Eodem modo iisdemque conditionibus Visitator semel confirmari potest ad triennium (2).

224. § 1. Vicevisitator, qui potestate vicariali viceprovinciam regit nomine Visitatoris, nominatur ad annos sex a Superiore Generali de consensu sui Consilii et audito Visitatore, facta tamen amplissima consultatione, ita, ut sodales Viceprovinciae indicare possint Superiori Generali nomina quorundam, quos ad hoc officium magis idoneos aestimaverint.

§ 2. Eodem modo iisdemque conditionibus Vicevisitator semel confirmari potest ad triennium.

225. Vicevisitator iisdem iuribus, facultatibus et obligationibus fruitur ac Visitatores, salvis iis quae Visitator sibi, audito proprio Consilio, servaverit et quae a Constitutionibus et Statutis determinantur (3).

### **De Assistente Visitatoris**

226. § 1. Visitator, ut officiis muneris nimis gravibus partim se exoneret et absens in regimine adiuvari possit, habere potest suum Assistentem.

§ 2. Assistens Visitatoris est unus ex Consultoribus provincialibus et eligitur ab ipsis Consultoribus cum Visitatore.

### **De Admonitore Visitatoris**

227. Admonitor Visitatoris est unus ex Consultoribus et eligitur ab ipsis Consultoribus (4).

1 CD 4.

2 Art. 108.-N. B.: Ad experimentum tamen Conventus provincialis praesentare potest Conventui generali modum proprium designationis vel electionis ad obtinendam facultatem seligendi hoc modo Visitatorem suae Provinciae.

3 Art. 113.

4 Art. 114, § 1.



### **De Consilio provinciali**

228. Consilium Visitatoris constituitur quattuor vel sex consultoribus, iuxta Provinciae necessitatem, et intra tres menses a selectione Visitatoris nominatur a Superiore Generali de consensu sui Consilii, facta tamen amplissima Consultatione confratrum Provinciae et audito Visitatore (1).

229. Adveniente autem morte Visitatoris aut eius cessatione ab officio, interinale Provinciae regimen cedit Assistenti Visitatoris; si Assistens desit, antiquiori Consultori provinciali, ratione nominationis, vocationis et aetatis, nisi a Superiore Generali aliter provisum fuerit (2).

### **De Oeonomo provinciali**

230. Oeonomus provincialis, qui ad Consilium convocetur quoties agitur de rebus ad suum officium pertinentibus sed sine suffragio, nominatur a Visitatore de consensu sui Consilii, accedente confirmatione Superioris Generalis (3).

231. Oeonomus provincialis qui, proportionem servata qualitates habere debet et ea observare quae pro Oeonomo generali praescripta sunt, administrat bona Provinciae sub directione Visitatoris ac vigilantia Consilii ad normam iuris communis et particularis nostri (4).

## **DE OFFICIIS IN ADMINISTRATIONE LOCALI**

### **De Superioribus**

232. Quidquid de fine ministeriisque Congregationis in his Constitutionibus statuitur ad executionem ducitur praesertim a Communitate locali cum Superiore. Docibilis Dei, frater, minister, Superior profectum uniuscuiusque confratris in sanctitatem et servitium Ecclesiae foveat (5).

233. Superior localis, a Visitatore, de consensu sui Consilii, ad triennium nominatur, accedente confirmatione Supe-

1 Art. 114, §§ 1, 3. -N. B.: Ad experimentum tamen Conventus provincialis praesentare potest Conventui generali modum proprium designationis vel electionis ad obtinendam facultatem seligendi hoc modo Consultores provinciales.

2 Art. 115, § 1.

3 Art. 114, §§ 1-2; Ius Part., art. 117.

4 Art. 135; can. 516, § 2; Reg. Oec. Prov.,

5 CD 30.

rioris Generalis, et confirmari potest ad secundum triennium (1).

234. Superior potestatem habet ordinariam in foro interno praeterquam pro suis subditis, etiam pro aliis diu noctuque in domo sua degentibus; quam potestatem aliis delegare potest ad normam iuris (2).

### **De Assistente, Consultoribus, Oecono et Admonitore**

235. In dirigenda domo Superior adiuvatur ab Assistente, Consultoribus, Oecono, necnon Admonitore, qui omnes nominantur ad nutum Visitoris, audito Consilio (3);

236. Assistens, absente Superiore, totum superioritatis officium exercet, iuxta tamen normas in regulis huius officii traditas (4).

237. § 1. Consultores domus sint numero congruo.

§ 2. Superior ordinarie saltem semel in mense debet Consilium domesticum cogere (5).

238 § 1. Oecono, cum fidelitate, prudentia et rectitudine, bona domus administrat sub directione Superioris et vigilantia Consilii ad normam iuris communis et particularis nostri.

§ 2. Illius est necessitatibus communitatis ad normam iuris nostri particularis providere, spiritu caritatis, oboedientiae et paupertatis (6);

### **DE CONFESSARIIS**

239. Presbyteri Congregationis Missionis, Christo Summo Sacerdoti coniuncti, Eius intentionem et caritatem in Poenitentiae sacramento administrando ita induere nitantur, ut fideles, ad ipsos accedentes offensionum Deo illatarum veniam suppliciter precaturi, divinam inveniant misericordiam et reconciliationem cum Ecclesia, quam suis culpulis vulneraverunt, obtineant. Non modo christifidelium conversioni, sed verum eorum in vita

1 Art. 120, 121; cc. 145, 147, 150, 505; Ius Part., art. 117.

2 Art. 124, 129; § 3, 227; can. 873, § 2, 875, § 1, 1245, § 3.

3 Art. 125, § 1

4 Art. 125, § 2.

5 Art. 126, § 1.

6 Art. 135; Reg. Oec. Loc.

spirituali progressui caritate, exemplo et precibus adlaborent (1).

240. Ad Poenitentiae sacramenti administrationem presbyteri Congregationis Missionis a Visitoribus adprobati sint, de eorum scientia ac prudentia consciis, ut seduli ac sagaces gratiae dispensatores efficiantur semperque paratos se ostendant quotiescumque id a parochis et fidelibus rationabiliter petatur (2).

241. Iurisdictionem ad christifidelium confessiones audiendas in variis dioecesibus ipsi Superiores exquirant ab Ordinariis locorum pro suis sodalibus, quos ut idoneos commendent. Ad singulos autem casus et per breve tempus confratres iurisdictionem obtineant iuxta dispositiones in unaquaque dioecesi vel provincia aut regione ecclesiastica latas.

242. Ad confessiones nostrorum recipiendas iurisdictio localis sufficit. Attamen Superior Generalis pro omnibus confratribus; Visitor pro suae Provinciae confratribus; Superior localis pro confratribus domus aliisque domi diu noctuque degentibus iurisdictionem concedere valent tum sacerdotibus Congregationis tum sacerdotibus extraneis. Haec iurisdictio a Superioribus Congregationis Missionis concessa, in favorem sodalium data censenda est; ideo ubique terrarum exerceri potest (3).

#### **DE MODERATORE PROVINCIALI EDUCATIONIS**

243. § 1. Moderator educationis provincialis nominatur a Visitatore, audito suo Consilio.

§ 2. Sit sacerdos vere eruditus, versatus in rebus Congregationis, in decretis et instructionibus Sanctae Sedis, necnon in legislatione civili scholastica, liber ab occupationibus quae detrimentum afferunt officio suo rite fungendo.

244. Sub directa dependentia Visitoris, Moderatoris educationis provincialis est:

1° promovere et coordinare studia et instituta educationis in Provincia;

1 LG 11; PO 13.

2 PO 13.

3 Art. 8, 111, 124, 129; OSG 1 (cf. DCG, p. 20).

2° domos studiorum et instituta educationis invisere et cognoscere de statu et profectu operis educationis, eisque auxilium ferre pro solutione quaestionum academicarum et media scientifica suppeditare ad opus formationis et educationis necessaria.

### **DE PROFESSORIBUS**

245. Sodales Congregationis ad munus educationis destinati meminerint se maxime esse auctores ut schola catholica et instituta educationis sua proposita et incepta ad rem deducere valeant. Peculiari ergo iidem praeparentur sollicitudine ut scientia tum profana tum religiosa idoneis titulis comprobata sint ditati. Caritate sibi vicissim et discipulis devincti atque spiritu apostolico imbuti, tam vita quam doctrina testimonium exhibeant unico Magistro Christo (1).

246. Nominantur a Visitatore audito suo Consilio.

In coetum professorum tum sacerdotes, clerici et fratres Congregationis, tum etiam sacerdotes diocesani et membra aliorum institutorum religiosorum cooptari possunt, pro temporis, loci et rerum aditinctis. Laici invitentur ut collaborationem suam nostris scholis et domibus formationis praestent, sub ductu, tamen, Superioris vel Rectoris et Praefecti studiorum localis (2).

247. § 1. Magistri, iuxta naturam propriam disciplinarum et exigentias progressus et evolutionis intellectualis alumnorum, methodum paedagogicam et scientificam adhibeant ut in alumnis amorem veritatis rigore quaerendae, demonstrandae et observandae excitent (3).

§ 2. Discant magistri in disciplina tradenda propriam experientiam complere illis artibus, quae usu maxime efficaces demonstrantur et in dies perficiuntur (4).

### **DE CONVENTIBUS CONGREGATIONIS**

#### **Normae Generales**

248. Cuiusvis Conventus, praesertim generalis, munus est spiritualem atque apostolicam Congregationis vitalitatem

1 GE 8.

2 AA 6; AG 21; LG 30, 33, 37; CD 17.

3 OT 15.

4 OT 11; GE 1.

tueri ac promovere. Ut hunc finem Conventus haud dubie assequi possint, impensa et consociata opera indigent Superiorum omniumque sodalium, qui diligenter eos praeparant, actuose peragant, fideliter denique observent leges ac normas ab ipsis traditas (1).

249. Iure vocis activae gaudent, nisi amiserint ad normam iuris:

1° Sacerdotes a votis professi (2);

2° Scholastici et fratres a votis perpetuis professi, ad normam Statutorum (3).

250. Iure vocis passivae, firmis aliis conditionibus statutis a iure communi et particulari nostro pro diversitate officiorum et munerum, fruuntur:

1° Sacerdotes a votis perpetuis professi quique curriculum theologicum expleverint (4);

2° Fratres a votis perpetuis professi, ad normam Statutorum (5).

251. Carent iure vocis activae et passivae:

1° Nostri qui ad dignitatem episcopalem proventi sunt, etiam tantum renuntiati, sive durante sive expleto munere (6);

2° Praefecti et Administratores apostolici nullo characterе episcopali insigniti, durante munere, nisi sint simul Superiores alicuius peculiaris domus Congregationis (7).

252. § 1. Nemo gaudere potest duplici suffragio (8).

§ 2. Suffragium sibimetipsi nemo licite dare potest (9).

§ 3. Suffragium est nullum nisi fuerit: liberum, secretum, certum, absolutum, determinatum (10).

§ 4. Conditiones ante electionem suffragio appositae tamquam non adiectae censentur (11).

1 ES, II, 1-2.

2 Art. 60, § 1.

3 PC 15; ES, II, 18, 27.

4 Art. 60, § 2.

5 PC 15; ES, II, 18, 27.

6 Art. 60, § 3.

7 Art. 60, § 3.

8 Art. 60, § 4; can. 164.

9 Art. 60, § 5; can. 170.

10 Art. 64, § 2; can. 169, § 1.

11 Art. 64, § 3; can. 169, § 2.

§ 5. Electio obligationem gignit electo ad Conventum eundi; nam ut mandatum oboedientiae haberi debet (1).

§ 6. Nemo in Conventibus sibi alium substituere potest proprio arbitrio, sed tantum ad normam iuris (2).

253. § 1. In electionibus, quae omnes per secreta suffragia faciendae sunt, requiruntur tres scrutatores (3).

§ 2. Cuiusvis Conventus initio, procedendum est ad electionem ipsius Conventus secretarii; ille electus habebitur, qui maiorem suffragiorum numerum tulerit, et, in casu paritatis, senior vocatione et aetate (4).

254. Acta a congregatis vocem activam habentibus probata et a secretario conscripta ac perlecta, subscribenda sunt a praeside, ab eodem secretario, a scrutatoribus et ab iisdem congregatis, ac, sigillo Congregationis munita, in tabulario diligenter asservanda (5).

### **De Conventu Generali**

255. Conventus generalis, universam Congregationem immediate repraesentans, gaudet iure:

1° eligendi Superiorem Generalem, Assistentes generales, Vicarium generalem et Secretarium generalem Congregationis (6);

2° decernendi et statuendi quae ad Congregationis prosperum felixque regimen conducere videantur, condendo leges seu decreta, quae constituunt disciplinam Congregationis (7).

256. Decreta Conventus generalis abrogari possunt ab alio generali Conventu; quae non abrogantur censentur confirmata et suum vigorem conservant (8).

257. Conventus generalis plures ob causas celebrandus venit: **1° ordinarius** ad eligendum Superiorem Generalem cum suis Assistentibus, Vicario et Secretario generali et

1 Art. 61, § 2.

2 Art. 62.

3 Art. 65, § 1.

4 Art. 67.

5 Art. 66, § 3.

6 Art. 74-85.

7 Art. 86, § 1.

8 Art. 86, § 2.

ad negotia Congregationis tractanda, sexto quoque anno post ultimum Conventum generalem ordinarium (1);

2° **extraordinarius**, extra dicta tempora, quotiescumque Superior Generalis, de consensu sui Consilii, censuerit eum esse celebrandum ad solvendam rem aliquam magni momenti (2).

258. Si ante elapsum tempus, quacumque de causa, munus Superioris Generalis vacare contingat, continuo convocabitur et celebrabitur ad normam iuris Conventus generalis ad novi Superioris Generalis electionem, simulque Assistentium, Vicarii et Secretarii generalium.

259. Conventus generalis in quo fit electio Superioris Generalis semper ordinarius computabitur et in eo semper negotia Congregationis tractari poterunt.

260. Conventus generalis convocatur a Superiore Generali vel ab eo qui eius locum tenet, tempore et loco de assensu Consilii statutis, addita ratione convocationis (3).

261. Sexto tamen recurrente anno, iusta de causa, poterit a die incepti praecedentis Conventus ordinarii, celebratio novi Conventus anticipari vel retardari ad sex usque menses, decreto Superioris Generalis de consensu sui Consilii; hoc in casu Superior Generalis, Assistentes, Vicarius et Secretarius generales, in munere manent usque ad celebrationem novi Conventus.

262. Conventui generali interesse debent: Superior Generalis cui competit praesidere et dirigere Conventum; Vicarius et Assistentes generales; Secretarius generalis; Oeconomus generalis; Procurator generalis apud S. Sedem; Visitatores et Vicevisitatores cum uno deputato pro provinciis vel viceprovinciis quarum numerus sodalium vocem activam habentium non superat quinquaginta; si superat quinquaginta, Visitatores et Vicevisitatores cum altero, usque ad centum; inde alius adhuc deputatus pro unaquaque centena vel eius parte (4).

263. Celebrationem Conventus generalis praecedere debent

1 Art. 69.

2 Art. 69.

3 Art. 71.

4 PC 14; ES, 11, 18.

Conventus domesticus et provincialis vel viceprovincialis (1).

### **De Conventu Provinciali et Viceprovinciali**

264. Conventus provincialis et viceprovincialis est:

1° agere de propositis quae nomine Provinciae vel Viceprovinciae deferenda sunt tum Conventui generali tum Superiori Generali (2);

2° eligere deputatos ad Conventum generalem (3);

3° tractare de rebus quae ad bonum Provinciae vel Viceprovinciae ducere possunt et ut organum consultivum extraordinarium vota exprimere a quibus Visitator vel Vicevisitator, si maior pars Conventus concordet, sine praevaletenti ratione ne discedat;

4° statuere normas circa ea quae, secundum praescriptionem Constitutionum, Statutorum et Conventus generalis, determinanda sunt a Provinciis vel Viceprovinciis et approbatione Superioris Generalis indigent;

5° eligere membra Consilii pastoralis provincialis.

265. § 1. Conventus provincialis vel viceprovincialis ordinarius celebrandus est tertio quoque anno, alter ante Conventum generalem, alter tempore intermedio.

§ 2. Pro necessitate, Visitator vel Vicevisitator cum suo Consilio et audito Consilio pastorali, potest convocare Conventum provincialem extraordinarium.

266. § 1. Ad Visitatorem et Vicevisitatorem pertinet Conventum provincialem vel viceprovincialem convocare, diem statuere domumque designare in qua celebrari debeat.

§ 2. Visitatoris vel Vicevisitatoris ius et officium est praesidendi atque dirigendi Conventum ac curare ut omnia procedant ordine, modo et forma debitae, iuxta Congregationis Constitutiones, Statuta et decreta (4).

267. § 1. Conventui provinciali et viceprovinciali interesse debent: Visitator vel Vicevisitator; Oeconomus provincialis vel viceprovincialis; singuli domorum provinciae

1 Art. 70.

2 Art. 92, § 2.

3 Art. 92, § 1.

4 Art. 93.



vel viceprovinciae Superiores; et tot sodales Provinciae vel Viceprovinciae quot sunt determinati et electi ut deputati secundum Statuta.

§ 2. Si Superior localis legitime impediatur quominus Conventum provincialem adeat, Assistens domus illum substituet (1).

268. Tempore et loco statuto a Visitatore vel Vicevisitatore, procedetur ad electionem deputatorum ad Conventum generalem et eorum substitutorum ad plura absolute suffragia (2).

### **De Conventu Domestico**

269. Conventus domesticus non aliis unquam de causis seu a Visitatore vel Vicevisitatore, seu a Superiore convocari potest et celebrari, nisi in ordinem ad Conventum provincialem (3).

270. § 1. Superioris domus, vel Assistantis qui totum superioritatis officium exercet, ius est convocandi Conventum et ei praesidendi, postquam Visitator vel Vicevisitator obligationem illum celebrandi induxerit (4).

§ 2. Convocandi autem sunt omnes vocem activam habentes (5).

### **DE COETIBUS CONSULTIVIS**

271. § 1. Superiores, ut sodales cursum vitae consecratae et apostolicae necnon regiminis Congregationis fusius participant, coetus et consilia varia in Congregatione fovere satagant, inter quae praesertim Consilium extraordinarium apud Curiam generalem, Coetum Provinciarum, Consilium pastorale provinciale vel viceprovinciale et Consilium domesticum omnium confratrum (6);

§ 2. Consilium, coetus vel conventus eiusmodi, potestate iuridica non gaudent (7).

### **De Consilio Extraordinario apud Curiam Generalem**

272. § 1. Pro opportunitate, Superior Generalis cum suo

1 Art. 94; PC 14; ES, II, 18.

2 Art. 97.

3 Art. 101.

4 Art. 10 2, § 1.

5 Art. 10 2, § 2.

6 PC 14.

7 Art. 68, § 3.

Consilio ordinario convocat Consilium extraordinarium assessorum.

§ 2. Consilium extraordinarium studet quaestionibus a Superiore Generali propositis pro universa Congregatione.

### **De Coetu Provinciarum**

273. Coetus Provinciarum eiusdem nationis vel regionis foveantur secundum necessitatem vel utilitatem locorum et temporum.

### **De Consilio Pastoralis Provinciali et Viceprovinciali**

274. Unaquaeque Provincia et Viceprovincia habeat suum Consilium pastorale. Membra et eorum numerus, pro necessitate, variari possunt, ita tamen ut tota Provincia cum suis operibus participare se sentiat.

### **De Consilio Domestico Omnium Confratrum**

275. Superior localis frequenter debet consilium omnium confratrum cogere.

## PARS OCTAVA

### De regimine rerum

#### Normae generales de re oeconomica

276. Bona Communitatis, secundum rei naturam, ad normam iuris communis et particularis nostri, administratores, adiuvantibus quatenus fieri possit peritis, moderentur atque eadem destinant semper eos in fines ad quos prosequendos Congregationi licet bona temporalia possidere, videlicet ad cultum divinum ordinandum, ad convenientem sodalium sustentationem procurandam, ad opera apostolatus et caritatis, praesertim erga pauperes, exercenda (1).

277. Providentiae divinae semper confidentes, administratores nimiam sollicitudinem crastinae diei abicient, quin prudentem administrationem bonorum temporalium communitatis omittant. Haec enim sunt bona ecclesiastica et, iuxta mentem Sancti Vincentii, quasi pauperum patrimonium (2).

278. § 1. Libenter administratores praevengant necessitatibus sodalium in omnibus quae respiciunt earum vitam, officium peculiare et apostolicum laborem, scientes quod nullus usus bonorum Communitatis melior erit quam qui incitat ad bonum pauperum fovendum, ad vitam

1 PO 17.

2 COSTE, IV, 277; XI, 30.

vere fraternam, ad renuntiationem etiam bonorum priorum. Fiduciam habeant in responsabilitate sodalium una cum prudenti cura circa posibles abusus in materia paupertatis (1).

§ 2. Servent, insuper, rationalem aequalitatem in ipsa bonorum distributione, cum debeant inter confratres ordinem et sanctam unionem semper fovere (2).

279. § 1. Non modo Congregatio, sed etiam Provinciae, Viceprovinciae et domus sunt capaces acquirendi et possidendi bona temporalia cum redditibus stabilibus seu fundatis (3).

§ 2. Ut bene ordinetur administratio bonorum temporalium, nominentur oeconomus, viri habentes mentem voluntatemque recte ordinatas circa fines Congregationis, et in negotiis administrandis et in re aerea peritiam, qui officio fungantur sub directione et dependentia Superioris vigilantiaque Consilii ad normam iuris (4).

§ 3. Iuxta regulam officii proprii, bona Congregationis administrat Oeconomus generalis; bona Provinciae oekonomus provincialis; bona Viceprovinciae oekonomus viceprovincialis et bona domus oekonomus localis.

280. Administratores omnes, tam Superiores quam Oeconomus, non poterunt actus administrationis nomine Congregationis ponere, nisi intra fines sui muneris et ad normam iuris. Quare Congregatio, Provincia, Viceprovincia et domus respondere debent tantum de actibus administrationis positus iuxta praefatas normas; de ceteris respondebunt illi, qui illicitos aut invalidos actus posuerint (5).

281. Si agatur de alienandis rebus, ratione materiae, artis, historiae, antiquitatis pretiosis, aliisque bonis, quorum valor superat summam a competenti auctoritate statutam, vel de debitis aut obligationibus contrahendis ultra indicatam summam, contractus vi caret, nisi praecesserit beneplacitum, scriptis datum, competentis auctoritatis ad normam iuris communis et particularis nostri (6);

1 Reg. Com., III, 3; art. 165, § 1; PC 13; Coste, XI, 232-252; XII, 393.

2 Reg. Com., II, 11.

3 Art. 134.

4 Art. 135.

5 Art. 140.

6 Art. 136, §§ 1, 2.

282. § 1. Congregationis Provinciae ac domus, aliae cum aliis in bonis temporalibus communicent, ita ut illae quae plus habent alias adiuvent quae egestatem patiuntur (1).

§ 2. Sed si aliqua persona moralis Congregationis debita vel obligationes etiam cum licentia contraxerit, ipsa ex suis respondere tenetur.

**STATUTA**  
**CONGREGATIONIS MISSIONIS**

## De professione

1. Adveniente tempore professionis, sodalis scripto eam a Visitatore petat; si vero aliqua obstet causa, eidem Visitatori manifestet propositum professionis differendae. Duratio dilationis determinanda est a Visitatore, audito ipso sodali eiusque moderatoribus.
2. § 1. Renovatio professionis temporariae fieri potest intra mensem post anniversarium praecedentis professionis.
2. Superiores tamen et sodales curent ut triennium professionis temporariae, ad professionis perpetuae validitatem requisitum, revera completum evadat.
3. § 1. Clerici nondum constituti in ordine sacro, cui adnexa sit obligatio caelibatus, convenienter vota perpetua emittunt immediate ante susceptionem eiusdem ordinis, dummodo alia requisita ex Constitutionibus habeantur.
- § 2. Fratres vero vota perpetua convenienter emittunt postquam sexennium in professione temporaria transegerint.
4. Licebit admittere ad vota seminaristam, qui sit in articulo mortis; ea tamen cessabunt, si ipse convaluerit.
5. § 1. Ante professionem temporariam eiusque renovationem et ante professionem perpetuam sodales exercitiis spiritualibus vacabunt per tempus a Superioribus determinandum.
- § 2. Post emissionem professionis tum temporariae tum perpetuae, Superior curabit ut professus in libro ad hoc destinato testimonium subscribat; Visitor vero

Superiori Generali primae professionis et perpetuae attestationem transmittet.

### **De castitate**

6. Sodales, ut in castitate quam professi sunt proficiant, illa media adhibeant quibus sua persona integre adimpleatur et castitas ipsa efficaciter custodiatur et manifestetur; praesertim erit opportunum cum direttore spirituali et magistris peritis colloquium habere (1).

7. Labori apostolico generose operam navent (2), sensus vigilanter custodiant (3), in omnibus temperantiam et mortificationem observent (4) et etiam, si res postulet, mediis extraordinariis uti parati sint (5).

8. Consortium humanum quod ministeria sua secumferunt, visitationes, recreationes, lectiones, studia, spectacula et oblectamenta ita ordinent ut semper testimonium suae totalis consecrationis Deo reddant. In his omnibus, simplicitatem in agendo colant, et consilia vel praescripta Ordinariorum et Superiorum libenter observent.

9. Ut ministeria sua erga mulieres, quae magis magisque partes activas habent in societate (6) et speciali titulo sunt humani generis educatrices (7), in bonum Ecclesiae et profectum personalem redundant, sodales sincere recteque se gerant, et attendant ad regulas prudentiae, ad circumstantias e quibus actiones suae iudicari possint (8) et uniuscuiusque regionis mores.

10. Ubi adsit necessitas utendi famulatu mulierum, Superior accurate observet dispositiones Visitoris, cui competit licentiam concedere (9).

### **De Paupertate**

#### **I° Quaenam sint bona Communitatis, quaenam propria Sodalium**

11. Sunt **bona Communitatis**:

1° Bona tum immobilia tum mobilia quae data fuerunt intuitu Communitatis vel eius operum, aut ex ipsis

1 Reg. Com., X, 11; OT 8, 10.

2 Reg. Com., IV, 5.

3 Reg. Com., IV, 2; PC 12. 4 Reg. Com., TV, 3; PC 12.

5 Reg. Com., IV, 4.

6 AA 9.

7 GS 60.

8 Reg. Com., IV, 2. 9 Art. 179.



bonis Communitatis acquisita fuerunt, et reditus omnes istorum bonorum;

2° Bona quae proveniunt ex labore sodalium et eorum ingenio vel ipsis data fuerunt intuitu functionum, ministeriorum, officiorum, necnon stipendia Missarum (1);

3° Emolumenta et pensiones a Gubernio vel ab aliis Institutionibus publicis aut privatis data sodalibus ratione studii vel singularis meriti cuiusvis generis acquisiti, scilicet in arte, in litteris, in bello (2);

4° Pensiones et allocationes datae ratione senectutis vel infirmitatis aut vulnerationis (3);

5° Lucrum proveniens ex dignitatibus, etiam ecclesiasticis (4);

6° Bona mobilia sodalis, quibus non renuntiat ante professionem, et bona mobilia acquisita propriis impensis vel alio quovis modo legitimo post professionem, si sint levioris momenti et usui missionariorum accommodata; nam iuxta traditionem in Congregatione vigentem, quilibet sodalis censetur ea post professionem cedere communitati (5);

7° Pecunia data intuitu personae occasione ministerii vel ratione officii (6).

12. Sunt bona propria sodalium post professionem:

1° Bona tum immobilia vel immobilibus aequiparata, tum mobilia maioris momenti vel usui missionariorum non accommodata et pecunia quocumque modo legitime acquisita, quae sodalis cum professionem emittit possidet aut in futurum possidebit (7).

1 CCD 329, 17; 333; 573 (olim 644); DCG 42, 6, 8a; 10.

2 CCD 339; DGC 42, 4, 10; 47, 3; OSG 13 (30-3-57).

3 CCD 339; DCG 42, 9 (ex parte); OSG 13 (30-3-57).

4 DCG 47, 2; art. 168, § 3.

5 CCD 329, 5; art. 168, § 1, 2°. De hac materia altera solutio proponitur: «Sunt communitatis bona mobilia, etiam maioris momenti, quae sunt usui missionariorum accommodata». Hic haberetur innovatio in nostra legislatione, et ideo debemus aliquid determinare de convenientia vel non istius innovationis.

6 In hoc casu aliqua innovatio datur, et ideo debemus aliquid determinare. DCG 8, c.

7 CCD 329, 1-5; art. 167, § 1, 1°-3°; 168, § 1, 1°, 2°.

2° Pecunia data sodali intuitu personae ratione vinculi familiaris vel amicitiae personalis (1);

3° Pecunia quae ad sodalem pervenit iure sanguinis haereditario aut ex legato aut alio quovis modo iuxta Constitutiones et Statuta, a Superiore adprobato.

13. Pecunia, tituli, actiones sodalium decedentium absque testamento vel ulla declaratione suae voluntatis, ad haeredes vel successores transire debent (2).

## II° Circa bona immobilia

14. Circa bona immobilia et immobilibus aequiparata, sodalis potest **sine licentia Superioris**:

1° Eis renuntiare tum in favorem pauperum aliorumque operum caritatis atque apostolatus, tum in favorem Congregationis vel parentum, praesertim si hi sint egentes (3);

Clerici suadentur ut renuntiationem non faciant nisi post susceptionem ordinis presbyteratus; Fratres vero, nisi post decem annos a professione. In utroque autem casu convenit ut Visitator audiatur.

2° Ea administrare, conservare et reparationes eis necessarias facere;

3° Cum aliis immobilibus eisque aequiparatis ea permutare;

4° Ea vendere si iure sanguinis haereditario acquisita fuerunt, non vero cetera **nisi cum animo nova immobilia vel aequiparata immedite acquirendi** vel cum licentia Superioris;

5° Nova acquirere ex titulo gratuito vel ex bonis iure sanguinis haereditario provenientibus, non autem ex aliis bonis sine licentia Superioris et salva norma 4° (4).

15. Iura usus et usufructus iisdem normis reguntur ac dominium circa immobilia et aequiparata; exercitium vero istorum iurium regitur ab exigentiis tum spiritus paupertatis, tum vitae communis.

1 CCD 11 (6). 72; DCG 42, 8, b.

2 DCG 42, 16.

3 CCD 329, 6-7, 15; 534 (olim 567); DCG 42, 15.

4 CCD 329, 9-10; art. 168, § 3.

16. Aequiparantur bonis immobilibus tituli, valores publici, actiones, obligationes, census annui et similia, dummodo vere constituent collocationem bonorum frugiferam et diuturnam (1).

### III° Circa bona mobilia

17. De bonis mobilibus, quae iuxta Constitutiones et Statuta remanent propria sodalium, ipsi possunt **sine licentia Superioris**:

1° in aliam domum transferre;

2° de illis disponere per testamentum vel per actum mortis causa (2).

18. Sodales non possunt **sine licentia Superioris**:

1° nova bona recipere, ea aliis donare, dare mutuo aut commodato, permutare, apud se vel apud alios retinere vel alio quovis modo cum eis agere (3);

2° in proprios usus ea convertere vel eis renunciare sive in favorem pauperum vel operum caritatis et apostolatus, sive in favorem Congregationis vel parentum (4).

19. Bona pretiosa quae nostrum statum plerumque dedecent, legitime acquisita, sodales possunt servare sine licentia Superioris, nequeunt tamen eis uti (5).

### IV° Pecunia

20. Sodales **indigent licentia Superioris**:

1° ut pecuniam, quam a quocumque vel gratuito vel mutuo vel alio quovis modo receperint, donent aliis, vel dent mutuo, aut frugifere collocent, aut apud alios retineant vel apud se servant et secum gestent (6);

2° ut quovis modo propriam pecuniam in opera pia expendant aut in proprios usus convertant (7).

1 CCD, 45; DCG, 39, 6; 42, 14.

2 DCG, 42, 15; art. 168, § 1, 2°.

3 DCG, 40; art. 168, §§ 2-3.

4 art. 168, § 1, 1°.

5 CCD, 329, 5; art. 168, § 1, 2°.

6 CCD, 329, 11; 332; 559 (olim 601); DCG, 42, 7; art. 168, § 5, 1°.

7 CCD, 336; art. 168, § 3.

**21. Sodales non indigent licentia Superioris:**

1° ut pecunia, quae a iure sanguinis haereditario ad eos pervenit, acquirant bona immobilia vel immobilibus aequiparata; licentia autem indigent, si acquirere velint bona mobilia (1);

2° ut pecuniam adhibeant ad reparationes necessarias bonorum immobilium (2);

3° ut de eis disponant per testamentum vel per declarationem mortis causa (3).

22. Nunquam licet expendere propriam pecuniam in usus sodalibus interdictos a iure communi et particulari nostro (4).

**V° Redditus**

23. Sodalibus licet redditus omnes servare cum animo eos expendendi iuxta spiritum et normas paupertatis (5).

24. Sine licentia Superioris licet remittere villico pensionem suorum immobilium aut illius partem, si iustitia et aequitas id exigunt (6).

25. Redditus expendere aut in usus proprios vel in opera pia convertere sodales nequeunt sine licentia Superioris (7).

**VI° De normis superiorum in materia paupertatis**

26. Libenter Superior det licentias in materia paupertatis nisi iusta causa obstet, quo in casu eam palam sodali manifestet.

Visitatoris est applicare normas Constitutionum et Statutorum circa paupertatem, iuxta locorum et personarum adiuncta.

27. Superiores suis subditis ne dent licentias indefinitas quoad tempus et modum in materia paupertatis (8).

28. Curent Superiores ut inaequalitates ex parte Communitatis omnino vitentur.

1 CCD, 329, 9; art. 168, § 2.

2 CCD, 329, 13; art. 168, § 4.

3 DCG, 42, 15; art. 168, § 5, 4°.

4 CCD, 329, 16; art. 168, § 5, 4°.

5 CCD, 329, 12; art. 168, § 5, 2°.

6 CCD, 329, 14; art. 168, § 4.

7 CCD, 329, 2; art. 168, § 1, 1° et § 5, 2°.

8 Art. 170.

29. iuxta normas a Visitoribus determinatas, tribuatur sodalibus aliqua pecuniae summa, de qua libere unusquisque disponere possit.

### **De obedientia**

30. Quo facilius et citius in obedientia quam professi sunt progressus faciant, sodales vitam et actionem apostolicam cum praescriptis legitimae auctoritatis quaerant semper componere.

31. In spiritu supernaturali se submittant non tantum Superioribus, sed etiam aliis confratribus qui sub aliquo respectu auctoritate in ipsos gaudeant (1).

32. Nullus ab uno Superiore repulsam passus alium Superiorem adibit super ea re, quin repulsam et repulsae causam illi significet (2).

33. iuxta praxim nostram, nullum officium in Communitate quis petet, nullumve sine causa a Superioribus probata recusabit (3).

34. Superiores, antequam rem alicuius momenti in materia obedientiae decernant, convenit, imo aliquoties oportet, ut sodalium audiant rationes, eisque occasionem praebeant opportuno tempore proprium sensum manifestandi.

35. Ministeria extraordinaria semper subsint iudicio et approbationi Superiorum; licentia insuper Ordinariorum locorum opportune petatur ubi natura ministeriorum illam videatur exigere.

36. In compositione et editione librorum, sicuti in publicatione articulorum in ephemeridibus vel similibus, ad normas in Provincia vel Congregatione receptas omnes se teneant.

37. Ordinem diei pro domo praescriptum unusquisque fideliter servet, opportunasque licentias a Superiore petat, iuxta morem nostrum, ad sese eximendum ab aliquo exercitio; moneat insuper Superiorem de impossibilitate orta vel forte oritura ad aliquod munus explendum, ne bonus ordo communitatis exinde detrimentum patiat (4).

1 Reg. Com., V, 3.

2 Reg. Com., V, 7.

3 Reg. Com., V, 4.

4 Reg. Com., V, 8.

### **De servitio pauperum**

38. Ad missionem suam pauperibus inserviendi sodales toto animi affectu se convertent (1), illam supra cetera omnia aestimantes (2), in eaque stimulum inveniendes ad propriam sanctificationem aggrediendam ut digni inveniantur qui servitium Christo in pauperibus praestent (3).

39. Omnes ornari conabuntur qualitatibus ad servitium pauperibus praestandum necessariis. In primis, sensum pauperum in seipsis excitare satagent, qui eos doceat pauperum existentiam recognoscere, praesentiam amare, libenter inter ipsos commorari, eosque de propriis problematibus loquentes audire. Deinde, psychologiam pauperum, uti dicunt, cognitam et perspectam habere omnes studebunt, ut actiones suas illius placitis accommodare valeant.

### **De Vita Spirituali in Congregatione Missionis**

#### **Principia generalia**

40. Tandem, virtutes ad pauperes adeundos magis aptas missionarii induere curabunt, ut cum ipsis agere possint affabilitate, simplicitate, patientia, magna prudentia et intelligentia. Personarum autem acceptionem vitare contentent, solum pauperiores, quando non omnes iuvare possint, praeferentes. Quae omnia praestare non poterunt sodales, nisi sortium pauperum participes sese revera sentiant (4).

41. Cum autem saluti pauperum multis modis, sive directis sive indirectis, attendi possit, votum illi vacandi sodales adimplent quotiescumque ministeria, fini Congregationis conformia, a Superioribus assignata fideliter perficiunt.

1 Reg. Com., XI, 10.

2 Coste IX, 21, 30.

3 Coste XII, 141.

4 Reg. Com., II et XII passim; Coste X, 153; Plac. Coetuum, I, pp. 128-129.

## **De Vita Spirituali in Congregatione Missionis**

### **Principia generalia**

42. Ut unionem cum Christo in omnibus vitae adiunctis fovere valeant, sodales spiritualibus subsidiis in Congregatione gaudent quae, ab Ecclesia et a S. Fundatore statuta et in vita Congregationis probata, ad ipsorum sanctificationem efficaciter conducunt.

Curabunt proinde omnes ut huiusmodi spiritualibus subsidiis, pro temporum et adiunctorum opportunitate, fideliter utantur, quo facilius exinde usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi (1), in exercitio suae vocationis, succrescant.

### **De Eucharistia participanda**

43. § 1. Presbyteri qui in celebrando mysterio eucharistico personam specialiter gerunt Christi, Eucharistiam participant, cotidie, quantum fieri potest, celebrantes aut concelebantes, et ideo hac ratione munere suo secundum proprium ordinem fungentes (2).

Magni autem faciant concelebrationem, qua unitas eorum sacerdotii in Christo summo atque aeterno Sacerdote opportune manifestatur et efficitur (3) et unio fraterna communitatis firmatur (4); eam proinde Superiores foveant praesertim in magnis domibus et in domibus formationis, ratione semper habita tum necessita~

1 Eph 4, 13.

2 SC 26; PO 13; *Instruct. (6). R. C. de cultu mysterii euchar.*, 43-44.

3 SC 57.

4 PO 8.

tum pastoralium fidelium, tum facultatis pro singulis presbyteris missam singularem celebrandi (1).

§ 2. Clerici autem et fratres coadiutores celebrationem Eucharistiae cotidie participant iuxta diversas formas ab Ecclesia probatas; praecipue vero per communionem sacramentalem, quantum fieri poterit, quotidianam. Clerici insuper in Ordinibus constituti, munera proprii Ordinis in celebratione quotidiana exercent.

44. Celebratio Eucharistiae in nostris domibus, imprimis autem in domibus formationis et Seminariis nobis concreditis, plenum momentum suum pastorale habeat, quoad actuosam participationem, cantum, homiliam, orationem fidelium, etc. Attendatur insuper ut opportuna variatio habeatur in ipsis formis participationis, secundum normas a competenti auctoritate statutas; quod efficiet ut monotonia vitetur et ut clerici sua munera convenienter exercent.

### **De cultu mysterii eucharistici extra missam**

45. Gratiarum actio, quae modo eminenti in celebratione eucharistica efficitur, in vita et actuositate quotidiana est protrahenda cultu Eucharistiae extra missam debito, speciatim in familiari colloquio et visitatione cotidiana et in oratione privata post communionem (2).

### **De Sacramento Poenitentiae**

46. Sacramento Poenitentiae, quo vita spiritualis roboratur et perficitur, omnes frequenter utentur, debita adhibita libertate in seligendo sacerdote cui conscientiam suam aperiant (3).

Ad sensum autem sociale peccati plenius percipiendum, et ad ipsum sacramentum veluti signum fidei et totius Ecclesiae celebrationem plenius conspiciendum, valde convenit ut, interdum saltem, celebrationes communes Poenitentiae habeantur.

### **De celebratione laudis Dei in Officio divino**

47. Celebratio divini Officii eo tendere debet ut diversae diei horae et ipsa ministeria apostolica per orationem

1 Instructio cit., 47.

2 PO 18.

3 PC 14.



sanctificentur. Proinde, servatis natura et tempore singularum Horarum:

1° in domibus nostris cotidie in communi celebrabuntur Laudes tamquam preces matutinae et, tamquam preces vespertinae, pro opportunitate cuiusque domus, aut Vesperae aut Completorium in fine diei (1);

2° ante examen particulare, Hora conveniens, pro opportunitate, persolvi potest.

Praestat ut, praesertim in domibus formationis, in seminariis et in maioribus domibus, diebus festis aut peculiaris sollemnitatis in anno liturgico, aliqua pars divini Officii in cantu celebretur, imprimis ubi adest ecclesia aut oratorium quod fidelibus pateat.

### **De oratione mentali**

48. Celebratio mysterii Redemptionis in anno liturgico per Eucharistiam et celebrationem laudis Dei in Officio divino plenam efficacitatem in vita spirituali consequetur, si quasi connaturaliter praeparata fuerit ut prolongabitur in oratione mentali. Hac ratione enim inter celebrationem liturgicam et orationem mentalem complementum oritur, e quo attingitur vere adorationis spiritus quo intime cum Christo, Novi Testamenti mediatore, omnes uniuntur (2).

Ideo omnes orationi mentali per dimidiam horam singulis diebus vacabunt, quantum fieri poterit in communi secundum traditum Congregationis morem.

Servetur etiam usus a Sancto Fundatore inductus et traditus manifestandi sensus quoad argumentum orationis, per familiare colloquium spirituale, in quo, absque peculiaribus formulis determinatis, omnes vel aliqui e sodalibus suam mentem expriment: quod fiet semel vel bis in mense, pro opportunitate cuiusque domus.

In ordinando autem exercitio orationis mentalis, haec prae oculis habeantur:

1° Oratio mentalis e fontibus germanis spiritualitatis christianae, nempe e fontibus Verbi Dei, S. Liturgiae, SS. Patrum afflatum suum hauriat;

2° De more relinquatur libertas in seligendo argumento, et ideo etiam textu pro meditatione, ita ut unus

1 *Instr. Inter Occumenici*, 16.

2 *PO 18*; *PC 6*.

quisque possit orationem facere iuxta formam quae suae possibilitati respondet. In quibusdam tamen diebus Superiores possunt argumentum commune proponere.

3° Durante media hora meditationis, excludatur quodlibet aliud pietatis exercitium, ne tempus occupetur ab actu orationi per se extraneo (e. g., lectione conferentiarum S. Vincentii prolongata, documentorum S. Sedis vel Superioris Generalis, etc.), sed vere orationi mentali tribuatur (1).

### **De examine conscientiae**

49. Ad magis accuratam praeparationem sacramenti Poenitentiae et ad clariorem defectuum cognitionem et emendationem, omnes duplici examine conscientiae cotidie utuntur: altero quidem particulari, quod de aliqua virtute acquirenda aut de aliquo vitio extirpando breviter fiet; altero vero generali, quod de singulis diei actionibus, in fine diei habebitur.

Examen generale fiat loco statuto in Completorio, sive in communi sive a solo persolvatur.

Examini particulari praemittatur invocatio divini auxilii aut, pro opportunitate, celebratio Horae convenientis Officii divini; in fine autem eiusdem addatur **Angelus Domini** aut alia precatio in unaquaque regione magis usitata. Psalmus **De Profundis** cum oratione dicatur tantum quando communitati nuntius datur mortis alicuius confratris.

### **De lectione spirituali**

50. Omnes satagent aliquid ex aliquo libro spirituali cotidie legere, iuxta propriam animi necessitatem. Hunc in finem, magno in honore habeantur, praeter S. Scripturam, scripta Patrum Ecclesiae et maiorum Doctorum vitae spiritualis, necnon documenta magisterii ecclesiastici, scripta S. Vincentii, aliique libri, in quibus spiritus nostrae vocationis illustratur.

### **De exercitiis spiritualibus**

51. Profundiores vitae spiritualis recognitionem et augmentum animi ardoris omnes conabuntur sibi comparare in annuis exercitiis spiritualibus, per quinque dies continuos protrahendis.

1 ES, II, 21.

Superiores autem curabunt ut singuli sodales iis attendant opportunioribus conditionibus, quae illa vere efficacia reddant.

1° Attendatur in primis ut locus in quo fiunt exercitia foveat silentium atque animae solitudinem et, pro opportunitate, sit etiam remotus ab ordinario labore.

2° Visitatores exercitia statuunt sive cum sive absque praedicatione, ita ut quisque rationem quam ipse malit seligere possit.

3° Visitatores permittere possunt ut confratres exercitiis spiritualibus aliquando vacent etiam extra domos Congregationis, e. g. in aliqua abbatia cum agitur sive de spirituali profectu personali curando, sive de exercitiis spiritualibus peragendis cum clero dioecesano aut religioso qui eadem ministeria ac nos exercet.

4° Ad praedicationem habendam durantibus exercitiis spiritualibus vocari possunt etiam sacerdotes dioecesani aut ex aliis institutis religiosis.

5° Habeantur, interdum saltem, et praesertim in bonum plurium Provinciarum simul, exercitia speciali ratione ordinata, e. g. pro fratribus coadiutoribus, pro confratribus qui iisdem ministeriis incumbunt, ita ut communicatio experientiarum et commercium opinionum habeatur. Expediit ut, pro opportunitate, his exercitiis spiritualibus coetus addantur, quibus studia peculiaria fiant aut quaestiones novae tractentur.

6° Potior cura tribuatur ordinandis celebrationibus communibus: praesertim vero diversis formis celebrandi Eucharistiam et Officium divinum, nonnullis sacris Verbi Dei celebrationibus, aliquibus aliis pietatis exercitiis in communi peragendis, ita ut singuli dies vividiores reddantur et peculiari nota donentur.

### **De directione spirituali**

52. Sicut vix in virtute progressum facere quis potest sine alicuius directoris spiritualis adiumento, ita nisi dirigendus aliquoties cum proprio direttore, de statu suo interiori, ut par est, communicet, difficillimum est ut ad perfectionem sibi convenientem perveniat (1).

1 Reg. Com., X, 11.

Quapropter unusquisque rationem conscientiae proprio directori spirituali, congruis temporibus, praesertim in exercitiis spiritualibus, reddet.

### **De collationibus spiritualibus**

53. Collationes de re spirituali semel saltem in mense habeantur, forma pro quacumque domo magis apta; quae quidem virtutes nostrae vitae consecratae et sacerdotalis spectabunt, necnon argumenta quae actionem nostram pastoralementem respiciunt.

### **De communi exercitio humilitatis**

54. Ut spiritum poenitentiae, qui est praecipue conversio cordis et restauratio caritatis, etiam communiter colatur, quibusdam diebus et quibusdam temporibus, quae inter annum liturgicum paschale Christi mysterium satius expriment, aut peculiaribus Ecclesiae vel Communitatis necessitatibus postulentur (1), singulis in domibus, etiam non formatis, opportuna ordinabitur celebratio poenitentialis, in qua singuli sodales, Superiore non excepto, actum humilitatis publice agent, coram aliis accusationem elicientes de culpis contra communitatem patratis. Superior poterit etiam admonitiones facere et hortationes habere, quibus ordo domus melior fiat et spiritus unionis inter sodales eiusdem communitatis foveatur.

Ut celebratio ista opportune instauretur (2), his attendatur:

1° Locum habeat aliquoties tantummodo in anno, diebus et temporibus poenitentialibus cum mysterio paschali connexis (prouti, v. g., in initio quadra-

1 *Const. Apost. Poenitemini, Introd., III.*

2 *Ad modum exempli praebetur aliquod schema huius celebrationis, quod est tantum indicativum. Superiores proinde ritum opportune variare possunt, ita tamen ut semper elementa fundamentalia adsint, et intra limites convenientes temporis persolvi possit.*

- *Introductio* (per formulam invocationis, e. g., «adiutorium nostrum», vel per aliquos versiculos psalmi apti);

- *Lectio Sacrae Scripturae* quam sequitur breve silentium meditationis et recollectionis vel psalmus, quasi responsio ad Deum qui per verbum suum nos interpellat et ad conversionem vocat;

- *Manifestatio culpa;*

- *Hortatio vel homilia et absolutio;*

- *Gratiarum actio* communitaria, etiam tantum per aliquam acclamationem laudis.

gesimae, in hebdomada sancta, ad praeparanda festa aliqua praecipua, ratione habita etiam eorum quae a Conferentia Episcopali quoad praxim poenitentialem statuta sunt) aut quibusdam in circumstantiis vitae Communitatis postulatis (v. g., durantibus exercitiis spiritualibus, vel, ubi usus adest, aliquando in recollectione mensili, etc.).

2° Structuram habeat sicut sic dictae «sacrae Celebrationes Verbi Dei», de quo agitur in Instr. *Inter Oecumenici*, n. 37; admonitiones autem Superioris in homilia aut hortatione Superioris includantur.

3° Manifestatio culpae fiat absque formulario praefinito, et quidem ab omnibus membris communitatis. simul adstantibus.

4° In propria culpa manifestanda attendatur potius ad culpas «contra communitatem» quam ad meras culpas personales vel disciplinares exteriores.

5° Novo hoc ritu substituitur etiam usus ante vigens petendi ut de propriis defectibus quis publice moneretur, necnon usus peragendi sic dictas «humiliationes».

### **De consecratione Congregationis ministerio pauperum quotannis renovanda**

55. Oblatio, qua S. Vincentius ministerio pauperum sese atque Congregationem universam saepius devovit, quotannis renovetur die 25 ianuarii, recurrente die quo per ipsum S. Fundatorem ministeria nostrae vocationis initium habuerunt, atque fundamenta Congregationis posita sunt. Peculiari ergo celebratione, pro uniuscuiusque domus facultatibus ordinanda, Deo, qui modo mirabili Congregationem suscitavit in Ecclesia, gratiae agantur pro beneficiis quae inde ab initio ipsi tribuit, atque oblatio renovetur tum Communitatis tum singulorum ministeriis propriae vocationis.

### **De praxi poenitentiali in Congregatione Missionis**

56. Quia Ecclesia temporum signa perspicuens, eas semper novas formas poenitentiae quaerit, quas eiusdem fini pro singulis aetatibus magis aptae sint et accommodatae» (1), circa praxim poenitentialem in Congregatione his attendatur:

1 *Const. Apost. Poenitemini, Intr., II.*

1° Poenitentiam imprimis omnes exercent patienter sustinendo vitae communis difficultates, cotidiani operis socias, vitae terrenae aerumnas, infirmitates et etiam paupertatem; ita ut, semper mortificationem Christi in corpore nostro circumferentes, et vita Iesu manifestetur in nobis (1) i.

2° Secundum morem in Congregatione traditum et ad mentem Ecclesiae, feria VI apud nos dies peculiaris manebit in qua etiam collective poenitentia coletur. Visitatores, prout locorum conditiones exigant, novos modos concretos inducant qui, orationem et caritatem foventes, generosum animi propositum atque poenitentiae spiritum provocent.

### **De Communionem cum confratribus defunctis**

57. Communionem cum fratribus, qui in Christo dormierunt, fovebunt sodales, mysterium eorum mortis recolendo, prouti est participatio mysterii mortis et resurrectionis Christi in illis perficiendi; exinde vero, praesertim per Eucharistiam et communem orationem, spiritum verae et perpetuae fraternitatis colligere contendunt, quae fratres in terrestri Missione laborantes cum iis societ, qui ad coelestem iam transierunt.

Peculare vero testimonium caritatis praebebunt confratribus post acceptum eorum mortis nuntium: eos enim tunc commendabunt piis suffragiis, iuxta normas sequentes:

1° Pro singulis defunctis propriae Provinciae, singuli sacerdotes unam Missam celebrent; clerici vero et fratres coadiutores Missam participant. Omnes insuper bona opera atque orationes illius diei offerant. 2° Pro singulis defunctis aliarum Provinciarum, in singulis domibus una Missa celebrabitur. Expediit ut Superior diem huius celebrationis significet, ut clerici et fratres coadiutores participatione se uniant et omnes confratres, etiam sacerdotes, eo die orationes et bona opera Deo offerant.

3° Pro omnibus defunctis duplicis familiae videntianae, eorumque propinquis et benefactoribus atque pro iis qui Congregationi cooptati sunt, singuli sacerdotes unam Missam quolibet mense celebrabunt, addendo specialem intentionem pro conservando -

spiritu Congregationis primigenio. Ubi fieri potest; expedit ut huiusmodi celebratio die praefinito habeatur, ut tota communitas eo die huic officio caritatis se societ etiam per orationes aliaque bona opera.

## **De Vita Communi In Congregatione Missionis**

58. In domibus Congregationis Missionis, confratres curent ut, quantum possibile sit, communitario studio incumbant, sese mutuo adiuvantes ut omnes parati inveniantur ad ministeria domus exercenda cum speciali aptatione exigentiis temporis et loci. Superior vero et oeconomus curent ut media tum spiritualia tum materialia ad hoc studium necessaria numquam desint; speciatim autem solliciti sint de bibliotheca augenda libris recentioribus magni momenti pro vita et ministerio confratrum, necnon periodicis de vita Ecclesiae et de progressu scientiarum tum ecclesiasticarum tum humanarum tractantibus.

59. Omnes sodales curam habeant de labore aliisque personalibus occupationibus ita ordinandis ut, sine apostolatus detrimento, interesse possint actibus communibus. Satagant etiam ad communes adunationes tempestive pergere, scientes se ita communi ordini et confratrum felicitati cooperari (1).

60. Apparatus radiophoniae, televisionis, musicae, etc., ita disponantur ut, iuxta Superiorum praescripta, vel in communi adhibeantur, vel saltem communitatis unitati, labori, quieti et recollectioni non noceant (2).

1 Reg. Com., V, 3.

2 OSG 4.



61. Vehiculorum autem emptio et usus, praescriptis paupertatis servatis, semper etiam ad bonum communitatis inserviant (1).

62. Omnes considerationem habeant circa res, quae privatam confratrum vitam respiciunt, eorum scripta et dicta, sicut loca habitationis, officii vel ministerii, debito respectu prosequentes (2).

63. Sodales magna discretione et caritate utentur circa ea quae de aliis confratribus quocumque modo noverint, secretum servantes de iis quae illud suadent vel exigunt (3). Res autem privatae communitatis externis non temere aut sine fructu communicabunt (4).

64. Omnes nitentur vitare defectus qui vitae communi maxime nocere possunt, uti sunt factionum efformatio, pertinacia in colloquendo, contentionum pruritus, murmurationes et detractationes (5).

65. Cum variae sint rerum conditiones in diversis Congregationis locis, Conventus provincialis, prae oculis habens traditionem nostram de silentio servando et de lectione habenda ad mensam, necnon peculiare domorum exigentias, opportunas edat normas pro sua Provincia.

66. Superiorum praescripta circa egressum domo atque activas et passivas visitationes externorum omnes exacte et in spiritu prudentiae et discretionis observabunt (6).

67. Domus nostrae patebunt sodalibus iter vel ferias agentibus, qui ordinarie ad eas divertant. Hospites autem, consuetudines et vitae rationem communitatis in qua etiam ad breve tempus versantur, observent, Superiorem domus de suo adventu et discessu opportune praemonendo (7).

68. Commorationes apud propinquos, necnon itinera oblectamenti causa, ita ordinentur ut simul et naturalibus officiis et licitae relaxationi confratrum et spiritui communitario faveant; in his omnibus praescripta tum

1 OSG 5.

2 Reg. Com., V, 9, 10. 3 Reg. Com., VIII, 10.

4 Reg. Com., IX, 8, 9.

5 Reg. Com., VIII, 2, °, 11, 16.

6 Reg. Com., IX, 1-7, 9-15.

7 Reg. Com., IX, 16.

Superioris Generalis tum Visitoris et domorum Superiorum observentur (1).

69. Sodales qui ratione ministerii vel studii extra domos communitatis vivere tenentur, intimam interea societatem cum confratribus prosequantur et statis temporibus illos conveniant. In missionibus autem, quatenus fieri possit, sodales saltem bini et bini commorentur. Et praescripta Superiorum de sodalibus extra domum constitutam degentibus, in vigore retineantur.

Iuniores autem sodales non facile addicantur ministeriis, quae illos ad vivendum extra domos communitatis cogant.

## De Vita Apostolica In Congregatione Missionis

### De Missionibus ad Populum Christianum

70. Inter diversas missionum formas, in unaquaque Provincia vel regione, illae selingantur quam, singulis in casibus, magis congruae videantur.

En autem praecipuae missionum species quae, diversis rationibus, enumerari possunt:

- **Ratione durationis: temporariae**, si per aliquot tantum dies protrahantur; et **stabiles** seu permanentes, si aliqua pars dioeceseos vel paroeciae in onus assumitur ut inibi vita christiana velut e radicibus renovetur;
- **Ratione obiecti**: totalis, poenitentialis, eucharistica, liturgica, biblica, mariana;
- **Ratione subiectorum: generalis**, si omnes fideles alicuius communitatis christianae respicit; **particularis**, si ad aliquas tantum fidelium categorias dirigitur;
- **Ratione extensionis**: paroeciales, regionales, dioecesanae;
- **Ratione obligationis**: fundatae, contractuales, ad nutum parochorum vel Episcopi;
- **Ratione missionariorum**: propriae alicuius domus; collectivae, si plurium domorum auxilium requirunt.

71. Missiones adaequato studio sociologico et pastorali loci vel coetus fidelium quibus tradendae sint, atque observatione eventuum et mundi sese evolventis apte praeparentur, ita ut peculiaribus necessitatibus et rerum adiunctis tum culturalibus tum socialibus et religiosis illorum accommodentur.

72. In missionibus ad populum christianum tradendis non neglegantur ii qui longe a fide vel ab Ecclesia versantur; immo, pro locorum adiunctis, eos ad Evangelii lumen denuo adducere prae primis curetur.

73. In missionibus alicuius domus, nisi adsit Superior, Director vices Superioris gerit etiam quoad regularem disciplinam. In coetibus vero missionariis qui a nulla domo

pendent, regimen a Visitatore vel Visitoribus determinetur.

74. Ubi dentur missiones collectivae quae indigeant collaboratione missionariorum plurium domorum, haec collaboratio libenter praestetur (1).

75. Missionarii sese offerant Episcopis et parochis ad Confraternitates Caritatis et alias similes associationes instituendas ubi id utile videatur, primum tamen voluntati Episcoporum et Ecclesiae localis necessitatibus attendentes.

76. Iuniores missionibus applicentur sub directione alicuius missionarii periti, et Superiores curent ut illi conciones suas sedulo parent et, si opus est, scribant (2).

77. Scholastici et Seminaristae tam spiritualiter quam intellectualiter et practice praeparentur ad missiones tradendas. In eorum characteris educatione maximi momenti est ut apti evadant ad apertam et simplicem conversationem cum populis ineundam. Durante autem curriculo theologico, scholastici utiliter ad missiones mitti poterunt ut practicam cognitionem et experientiam operis missionarii acquirant.

78. Fratres vero auxilium validum afferre possunt missionibus non solum suis orationibus et exemplis, sed etiam illis officiis pastoralibus quae ab ipsis praestari possunt.

79. Licitum immo et optandum etiam erit in missionibus auxilium adhibere tum Filiarum Caritatis tum Confraternitatum et aliarum associationum per actionem vere pastoralementem laicorum indoli accommodatam.

### **De Missionibus ad Gentes**

80. Superiori Generali competit, de consensu sui Consilii, missiones a S. Sede oblatas acceptare vel recusare; item missiones Congregationi concreditas resignare. Si autem ipsi visum fuerit et tempus suppetat, decisionem deferre potest ad Conventum generalem.

81. Quamvis missiones Congregationi concreditae committantur alicui Provinciae, nihilominus toti Congregationi

1 DCG, 75, 4°.

2 DCG 75, 1°.

incumbit cura de iis, ita ut omnes Provinciae paratae esse debeant pro viribus illas adiuvari, mittendo missionarios et subsidia (1).

82. Salva semper legitima autonomia Provinciarum, coordinatio operis missionum ad gentes pertinet ad Superiorem Generalem cum suo Consilio, qui in hoc munere adiuvatur a Secretariatu operum apud Curiam generalitiam, tamquam instrumento dynamicae ordinationis et fecundae cooperationis in activitate missionali totius Congregationis.

83. Sit apud Curiam generalitiam fundus pecuniarius pro missionibus, quo efficacius provideatur expansioni missionali et prompte subveniatur urgentioribus necessitatibus missionum nostrarum, necnon confratrum propter aetatem vel infirmam valetudinem non amplius operam navare valentium, si Provincia impar sit ad hoc faciendum.

84. In Provinciis ordinatio operis missionum ad gentes pertinet ad Visitatorem cum suo Consilio et ad Conventum provincialem.

85. Instituatur, quantum possibile est, in unaquaque Provincia, opus ad promovenda negotia missionum exterarum Provinciae et Congregationis.

86. Visitator cum benevolentia accipiat petitionem confratrum ut, ad missiones mittantur; curet autem ut ipsi tempestive et sedulo praeparentur ad munus tanti momenti (2).

87. Sodales qui ab una Provincia missi sunt ad determinatum sectorem territorii missionalis in quo Provincia iam erecta est, subicientur duobus Visitoribus, iuxta praeviam conventionem inter duos Visitatores initam et a Superiore Generali approbatam.

88. Diligenter describantur bona missionis, ea secernendo quae sunt propria missionis ab iis quae ad Congregationem nostram spectant. Quoad bona quae accipiuntur in missionibus aut pro missionibus, semper attendendum est ad intentionem offerentium.

89. Ad praecavendas difficultates forsan orituras, Superiores

1 AG, 40.

2 AG, 25-26; 34.

Congregationis cum Superiore missionis conventionem ineant circa ea quae sodales, opera missionis et res oeconomicas spectant (1).

### **De Ministeriis erga Clerum**

90. Cum sanctitas presbyterorum iam ex eo requiratur quod ministeria in Populo Dei fructuosius exercent, potiori ratione videtur exigi in eis qui, vocatione speciali efformationi pastorum eiusdem Populi Dei incumbunt. Sodales igitur huic ministerio addicti, omni cura dociliores impulsui et ductui Spiritus Sancti effici studeant, ob suam intimam cum Christo unionem et vitae sanctimoniam, ut Deus per eos sua mirabilia ostendere possit (2).

91. Sodales vero ad operam seminariorum vocati persentiant quantopere a suis suorum cogitandi agendique ratione pendeat alumnorum formationis exitus (3); suo exemplo alumnos doceant secundum formam Evangelii vivere, et in fide, spe et caritate firmari, ut in earum exercitio spiritum orationis sibi acquirant, vocationis suae robur et munimen consequantur, ceterarum virtutum vigorem obtineant et zelo omnes homines Christo lucrificandi crescant (4).

92. Congregatio sit parata, iuxta voluntatem Ecclesiae, ad laborandum in seminariis dioecesanis ope unius alteriusve confratris, si id videatur sufficere Episcopis, ut det testimonium fidelitatis in hoc opere institutionis sacerdotalis (5).

93. Praescriptionibus Sancti Patris obsequentes, cum ad similia ministeria fuerint applicati, ecclesiasticos non minus ad pietatem quam ad doctrinam, tam exemplo quam verbo, promovere satagent, cum illis in omni simplicitate et humilitate, mansuetudine, reverentia et affabilitate semper agentes s, validumque, pro modico nostro, illis praebendo exemplum vitae communis et evangelicae consecrationis.

1 AG 32; ES, I, 24.

2 PO 12.

3 OT 5.

4 OT 8.

5 CD 34, 35, 2.

6 Reg. Com., XII, 6.

## De paroeciis

94. Paroeciae Congregationi concreditae reguntur ad normam iuris et iuxta conventiones inter Ordinarium loci et Visitatorem, scripto initas. In conventionibus, inter alia, expresse et accurate indicentur ea quae ad opus explendum, ad personas eidem addicendas et ad res oeconomicas spectant (1).

95. § 1. Confratres idonei, paroeciae addicendi uti parochi vel vicarii, seliguntur a Visitatore, mutuis praehabitis cum Ordinariis loci consiliis; a Visitatore praesentantur, sed ab Ordinario loci in munere constituuntur ad certum tempus mutuo consensu Ordinarii loci et Visitatoris definitum (2).

§ 2. Gravi de causa confrater a munere paroeciali amoveri potest, tam ad nutum Ordinarii loci, monito Visitatore [*sic*], quam Visitatoris, monito Ordinario loci, aequo iure, neutrius consensu requisito; nec alter alteri causam iudicii sui aperire eoque minus probare tenetur, salvo recurso in devolutivo ad Apostolicam Sedem (3).

96. Paroeciae, ab Ordinario loci Congregationi concreditae, eiusdem Ordinarii auctoritati et directioni subsunt, firmo tamen manente iure Superiorum invigilandi super sodalium vitam et etiam, cumulative cum Ordinario loci, super munerum ipsis commissorum adimpletionem. Ubi parochus aut vicarius a suo munere defecerit, Visitator ius cumulativum cum Ordinario habet in eum poenas decernendi, ita tamen ut, si aliter a Superiore, aliter ab Ordinario decernatur, praevaleat decretum Ordinarii (4).

97. § 1. Bona quae sodali nostro obveniunt intuitu paroeciae, cui praeficitur, ipse paroeciae acquirit; cetera acquirit ad instar aliorum sodalium Congregationis.

§ 2. Non obstante paupertatis voto, eidem licet eleemosynas in bonum paroecianorum, vel pro scholis catholicis aut locis piis paroeciae coniunctis, quovis modo oblatas accipere aut colligere, et acceptas sive collectas administrare; itemque, servata offerentium voluntate, pro prudenti suo arbitrio, erogare, salva

1 ES, I, 33.

2 ES, I, 30, § 2.

3 ES, I, 32.

4 ES, I, 29, § 2; art. 277, §§ 13.

semper vigilantia sui Superioris; sed eleemosynas pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare, pertinet ad Superiorem, si Ecclesia est Congregationis; secus ad loci Ordinarium.

§ 3. Quoad bona temporalia: si pecunia sit data paroeciae vel missioni aut Congregationi intuitu paroeciae vel missionis, pro eius collocatione, requiritur consensus praevius Ordinarii loci; cui ius quoque est cognoscendi de administratione fundorum legatorumque, quae fuerint tributa ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam, itemque de administratione pecuniae datae paroeciae vel missioni, aut Congregationi, intuitu eiusdem paroeciae vel missionis (1).

98. Cum in aliqua domo, cui adnexa sit paroecia, diversa sint ministeria et plures sint confratres, perutile videtur quod alius sit Superior et alius sit parochus.

99. Laici, oblata sua peritia, curam animarum et etiam administrationem bonorum Ecclesiae efficaciorum reddunt. Et cum paroecia sit totius communitatis paroecialis, parochi inducant laicos, bene et prudenter selectos, qui in administratione paroeciali partem habeant.

### **De Ministeriis erga Filias Caritatis**

100. § 1. Directores provinciales Filiarum Caritatis nominantur e nostris a Superiore Generali, audito Visitatore, et in officio constituuntur per tempus determinatum.

§ 2. Optandum est ut, quantum possibile sit, officium Directoris Filiarum Caritatis sit separatum ab Officio Visitoris et a fortiori, non coniungatur cum officio Superioris localis (2).

1 Art. 278, § 1-3.

2 DCG 78, 1°.



# De Sodalibus Congregationis Missionis

## De Sodalibus in genere

### I. De iuribus sodalium Congregationis Missionis

101. Sodales Congregationis Missionis, nisi ex natura rei aliud constet, gaudent iuribus et privilegiis clericorum atque ceteris indultis, privilegiis, facultatibus, et gratiis spiritualibus Congregationi concessis ad normam iuris communis et particularis nostri (1).

102. Sacerdotes Congregationis Missionis ius habent applicandi aliquot missas ad propriam intentionem, iuxta numerum a Visitatore determinatum, ut possint satisfacere obligationibus pietatis personalis. Attamen non possunt, sine licentia Superioris, stipendia recipere ratione harum missarum (2). Superiores autem provideant pro sacerdotibus, qui non valent missam celebrare.

Unusquisque frater professus petere potest ut, in propria domo una missa, quolibet mense, iuxta suam intentionem celebretur (3), nisi Superior cum ipso aliter convenerit.

Curent Superiores ut aliquoties missa celebretur pro

1 Art. 9, § 2; 156, § 1; can. 680, 614.

2 DCG 42, 50.

3 DCG 53, 7°.

intentionibus scholasticorum et seminaristarum, quod eis ante celebrationem missae notificetur.

103. Omnes sodales Congregationis Missionis possunt litteras mittere, nulli obnoxias inspectioni, ad S. Sedem eiusque in natione Legatum, ad Superiores maiores, ad Superiorem domus forte absentem, et ab ipsis omnibus litteras item, nemini inspiciendas, recipere (1).

Ceteras litteras sodales mittunt aut recipiunt per Superiorem, qui eas tamen non legat, nisi in casu extraordinario.

## **II. De obligationibus sodalium**

104. Sodales C. M. communibus obligationibus clericorum tenentur, nisi ex natura rei aliud constet (2).

105. Omnes sodales fideliter servare debent Constitutiones, Statuta et ceteras normas a Superioribus datas, ut perfectionem sui status prosequantur et bono totius Congregationis rite provideatur (3).

Meminerint sodales frequentem Constitutionum et aliarum praescriptionum transgressionem faciliter inducere culpam et relaxationem, aut scandalum in communitate generare (4).

106. Maxima aestimatione et veneratione omnes prosequantur Regulas communes a Sancto Patre nostro Vincentio datas, ut quae Instituti nostri codicem perfectionis proprium et regulam fundamentalem constituent (5). Quae explicite vel implicite in Constitutionibus et Statutis insertae sunt, eandem inducunt obligationem ac ipsae Constitutiones et Statuta; quae autem non sunt insertae, sed nec sunt contrariae, vim obligatoriam stricte iuridicam non habent; demum, quae sunt contrariae Constitutionibus et Statutis, non amplius vigent.

107. Curent omnes sodales ut, praeter lectionem publicam Regularum communium, Constitutionum et Statutorum, privatae quoque lectioni saepe attendant, praesertim tempore formationis (6).

1 Art. 230, § 2.

2 Can. 679, 592.

3 Art. 218, §§ 3-4.

4 Art. 218, §§ 3-4.

5 Art. 219; DCG 54.

6 Art. 224 et 225.

108. Normae ab Ordinariis locorum forsitan in suis dioecesibus promulgatae, sicuti normae a Visitatore datae, circa oblectamenta et spectacula a sodalibus C. M. semper observentur (1).

109. In actibus vitae communis sodales eam vestem induant, quam Visitator determinaverit. Euntes extra domum sodales clerici praescriptionibus Ordinariorum locorum et Visitatoris obedire tenentur (2); Fratres vero, praescriptionibus Visitatoris (3).

### **III. De adscriptione sodalium alicui Provinciae, Viceprovinciae et domui**

110. Quemlibet sodalium C. M. oportet esse alicui Provinciae vel Viceprovinciae et domui adscriptum. Attamen Superior Generalis, Assistentes, Secretarius et Oeconomus generales, Procurator generalis apud S. Sedem, domui Generalitiae adscripti, Provinciam vel Viceprovinciam, ad effectus iuridicos, durante munere, non habent.

111. Sodalibus C. M. adscribitur Provinciae vel Viceprovinciae pro qua Superiores legitime eum in Congregationem admittunt. Quae Provincia vel Viceprovincia dicitur Provincia vel Viceprovincia originis.

Nova sodalis adscriptio acquiritur per destinationem ex una ad aliam Provinciam vel Viceprovinciam a Superioribus legitime factam. Quae Provincia vel Viceprovincia dicitur Provincia vel Viceprovincia destinationis.

112. Ad effectus iuridicos, Provincia vel Viceprovincia amittitur:

1° per electionem et acceptationem officiorum Superioris Generalis, Assistentis generalis, Secretarii et Oeconomi generalium et Procuratoris generalis apud (6). Sedem;

2° per destinationem ad aliam Provinciam vel Viceprovinciam, legitime factam. In hoc casu, ut sodalis amittat unam Provinciam vel Viceprovinciam et aliam acquirat, salva semper Superioris Generalis auctoritate, exigitur tantum ut Superiores maiores competentes conveniant inter se, audito ipso sodali.

113. Superior Generalis, expleto suo munere, libere eligat

1 OSG, 6 (8-XII-56); ES, I, 25, § 2.

2 ES, I, 25.

3 DCG, 53, 5.

Provinciam, cum beneplacito novi Superioris Generalis.

114. Adscriptio Provinciae vel Viceprovinciae **destinationis** potest esse ad tempus indefinitum vel definitum. Si adscriptio fit ad tempus definitum, hoc elapso, sodalis immediate acquirit denuo adscriptionem provinciae vel Viceprovinciae a qua destinatus fuerit, nisi Superiores competentes aliter inter se convenerint, ad normam Statutorum.

115. Expediit ut documenta destinationis Provinciae vel Viceprovinciae conficiantur et in Archivis Provinciae vel Viceprovinciae, cuius intersit, serventur, Superior vero maior Provinciae vel Viceprovinciae, a qua sodalis destinatur, notitiam de nova eius adscriptione ad Secretariatum generalem mittet.

116. Sodalit C. M. adscribitur domui per destinationem a legitimo Superiore factam.

117. In domo et Provincia vel Viceprovincia, quibus sunt adscripti, sodales, praeter vincula spiritualia, etiam vincula iuridica habent, vi quorum obtinent:

1° proprium et immediatum Superiorem maiorem et localem;

2° exercitium vocis activae et passivae;

3° cetera iura quae ad vitam spiritualem, ministerialem et corporalem pertinent, iuxta normas in Congregatione vigentes.

### **De vocationibus promovendis**

118. Ad vocationes vincentianas fovendas, si opportunum videtur, Visitator instituat **opus vocationum** vel nominet aliquem sacerdotem huic muneri aptum. Finis huiusmodi operis vel muneris erit coordinare et fovere activitatem totius Provinciae in favorem nostrarum vocationum. Sodales autem sacrificiis et precibus rogent Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

119. Formationi adspirantium diversis modis provideatur secundum adiuncta locorum et Provinciarum possibilitates.

120. Intuitu necessitatum Ecclesiae in diversis locis, scholae nostrae pro adspirantibus nostris apertae sint etiam aliis, e. g., candidatis ad statum cleri dioecesiani, vel ad alias communitates.

121. Studia his in scholis ita ordinentur ut alumni sine incommodo alibi ea prosequi possint, si alium vitae statum amplectantur (1).

122. Missionarii ad gentes, dum commorantur extra missiones in regionibus christianis, habeant partem efficacem in hoc ministerio.

### **De seminario interno**

123. § 1. 1° Seminarium Internum per unum saltem et continuum annum peragi debet, in quo seminaristae vacare possunt studiis cum characterem Seminarii congruentibus.

2° Annus Seminarii vel ante initium studiorum ecclesiasticorum vel post aliquam eorum partem perfici potest.

3° Provinciis vero licebit, cum approbatione Superioris Generalis, maiorem durationem Seminarii Interni statuere. Si plusquam unus annus Seminarii peragatur, eiusdem tempus in duas diversas periodos etiam separatas distribui poterit, dummodo una alterave earum per annum continuum protrahatur et professio temporaria non emittatur antequam annus perfectus sit. In fine autem primae periodi emitti poterunt bona proposita (2).

§ 2. Pro his qui veniunt aetate propecta, iam humana et christiana maturitate acquisita, modum specialem eligere licet, dummodo substantia Seminarii Interni ad normam iuris nostri retineatur.

124. § 1. Alumnos informet Director ad exercitium vitae spiritualis Congregationis.

§ 2. De oneribus ab ipsis suscipiendis, alumni reddantur certiores, nulla vitae consecratae in Congregatione et sacerdotalis difficultate reticita (3).

125. § 1. Seminaristae assuefacti sint laboribus physicis ut sciant se esse obnoxios communi legi laboris et aliquid experiri de vita laboris manualis eorum quibus in futuro ministrabunt; atque ut semper sint parati partem

1 OT 3.

2 Provinciae, quae Seminarium Internum substituere exoptent alia ratione formationis vincentianae, hanc ad modum experimenti a Conventu generali petere possunt.

3 OT 9.

suam libenter sumere de laboribus physicis in vita communi necessariis.

§ 2. Non tantum habeant opportunitatem accedendi ad media communicationis socialis, sed etiam iam discant de illis iudicare pro cultura personali et pro apostolatu.

126. § 1. In ratione formationis singularum Provinciarum statui potest provectior aetas ad receptionem in Seminarium et ad professionem perpetuam emittendam (1).

§ 2. Adspirantes, antequam admittantur, exhibere debent documenta recepti Baptismatis et Confirmationis, atque testimonia sufficientia de eorum vita et idoneitate.

127. § 1. Seminarium Internum constituitur in loco convenienti electo a Visitatore cum suo Consilio, et domus aptetur propriis exigentiis formationis alumnorum.

§ 2. Seminarium Internum potest esse distinctum: unum pro clericis, alterum pro fratribus, vel commune clericis et fratribus. Alterutra forma uti licet.

128. Si tempus in quo Seminarista vivit extra domum Congregationis superat quindecim dies continuos vel triginta interruptos, Visitoris est, auditis moderatoribus, decernere an suppleri debeat; itemque, an in quodam casu decursus Seminarii Interni ita substantialiter sit interruptus, ut ab initio iterum incipi debeat.

129. § 1. Ut subveniatur tum speciali formationi fratrum in Seminario Interno, tum efficaci formationi alumnorum si sint numerosi, Directori adiungi potest ut socius, alius confrater idoneus a Visitatore cum Consilio designatus.

§ 2. Habeatur congruus numerus Confessariorum quos Seminaristae libere adire possint, ad normam iuris.

130. In universa alumnorum selectione et probatione debita semper adhibeatur animi firmitas, etiamsi lugenda sit sodalium penuria. Non idonei tempestive ad alia munera obeunda paterne dirigantur atque iuventur (2).

131. Visitoris est, cum suo Consilio, dimittere Seminaristas ob iustas et rationabiles causas. In quantum possibile I

1 OT 12.

2 OT 6.

est, causae dimissionis manifestentur sodali in colloquio benevolo.

### **De Scholasticatu**

132. § 1. Director Scholasticorum a Visitatore, de consensu sui Consilii, nominatur et a Superiore Generali confirmatur.

§ 2. Habeatur congruus numerus confessoriorum quos Scholastici libere adire possint:

§ 3. Cum Directore spirituali, libere et responsabiliter electo, colloquium de vita spirituali habeant et rationem suae conscientiae ei reddant, ut voluntatem divinam erga semetipsos magis agnoscant et in fidelitatem gratiae divinae indesinenter crescant.

133. Fiducia sincera et aequalitas quaedam rationabilis inter Superiores et Scholasticos vigeant, colloquium fratrum mutuumque adiutorium inter ipsos foveatur, ut communi studio et cauta omnium consultatione normae disciplinae efficaciores evadant; omnes notitiae, quarum communicationem prudentia commendat, Scholasticis propense tradantur; tota autem ratio pietatis, laboris et silentii in scholasticatu indoli et conditioni alumnorum sapienter accommodetur (1).

134. Scholasticis tempus debitae relaxationis concedatur; recreationes enim magnam habent partem in iis extruendis, quae ad vigorem corporis, ad libens consilium personale et ad vitam familiarem multum conferunt.

135. In scholasticatu qui complectitur multos alumnos, hi, retenta regiminis et scientificae institutionis unitate, apta ratione in coetus minores distribui possunt, ut singulorum personali conformationi melius provideatur (2), et mutuae relationes magis fraternae efficiantur.

136. Subsidia scientifica, uti sunt bibliothecae, media didactica audiovisiva vel alius generis, ipsaque dispositio domus studiorum, ita apte ordinentur, ut et magistri et Scholastici copiam virium intellectualium in bonum Ecclesiae et animarum facile explicare valeant.

137. Placita auctorum, etiam acatholicorum, ea praesertim quae maiorem influxum in animos hominum exercent,

1 OT 11.

2 OT 7.

Scholastici addiscant critiche recognoscere sub ductu professorum, ut ex iisdem quae sunt bona retineant et opportune adhibeant, quae vero improbanda corrigant vel reiciant (1).

138. Experimenta apostolica natura sua rationem habent non tantum formationis sed etiam probationis. Ita ordinari proinde debent, ut pro Scholasticorum aetate et maturitate, necnon locorum adiunctis, methodice fiant sub ductu virorum re pastorali et iuvenum problematibus peritorum, praepollente supernaturalium auxiliorum vi semper memorata; ita totius formationis unitas et harmonia nullum unquam detrimentum patientur (2).

139. In candidatis seligendis, Director et ceteri moderatores Scholasticorum firmiter se gerant, ita ut solum digni promoveantur; non idonei autem paterne dirigantur ad alium vocationis christianae statum ineundum (2).

Pro admissione vero ad Ordines, Consilium omnium moderatorum a Visitatore exquiratur.

140. Visitoris erit interruptionem quandam studiorum permittere, ut vocationi vel necessariae cognitioni vitae Congregationis vel aptiori institutioni pastorali consulatur. Scholastici vero, studiis forsan interruptis, directoribus idoneis committantur, qui ipsos adiuvent ad progressum spirituales secure et continue proseguendum (4).

Si haec autem interruptio secumferat necessitatem vivendi extra domos Congregationis, opportunae licentiae expetantur (5).

### **De egressu e congregatione**

141. Sodalibus Congregationis a professione temporaria, qui ob iustas et rationabiles causas ad normam iuris communis et particularis nostri professionem renovare non valet, vel, si clericus, ad ordines admitti non potest:

1° si, perdurante professione, dispensationem a professione petit, illi eam concedere potest Visitor de consensu sui Consilii;

2° expleto professionis tempore, excluditur a renovanda

1 IM 15; GS 7, 62.

2 OT 21.

3 OT 6.

4 OT 12.

5 Rescr. Cum *admota*, 15.



professione vel a professione perpetua emittenda (1).

142. § 1. Sodalis qui a S. Sede vel a Superiore Generali obtinuit indultum vivendi pro tempore extra Congregationem:

1° votis ceterisque suae professionis obligationibus, quae cum suo statu componi possunt, manet obstrictus;

2° in materia paupertatis, ipse providebit suis necessitatibus ope stipendiorum missarum aliorumque ministerii sui. Quoad superfluum, si adsit, ad Congregationem pertinet; si ipse autem in indigentia versetur, Congregatio ei subvenire poterit;

3° Ordinario territorii ubi commoratur, loco Superiorum Congregationis, subditur, etiam ratione voti obedientiae;

4° perdurante tempore indulti, gaudet privilegiis mere spiritualibus Congregationis;

5° in Conventibus nostris ius ad vocem activam et passivam non habebit, nisi Superior Generalis id expresse ipsi concesserit;

6° in casu mortis, solus Superior Generalis potest ei suffragia concedere pro defunctis nostris consueta z.

§ 2. Visitoris est monere sodalem de fine temporis indulti ut, aut novum indultum obtineat, aut in Congregationem redeat; quo in casu Secretariatum generalem de re certiore faciat.

1 Can. 637.

2 DCG, 86; Ius Part. C. M., p. 75 ex litt. RR. DD. Slattery, Sup. Gen. die 27 septembris 1957.

# De Regimine Congregationis

## DE PRINCIPIIS GENERALIBUS

### ad regimen Congregationis Missionis spectantibus

#### De Praecedentia inter Personas

143. In actibus ordinariis vitae communis:

1° in domibus nostris Superior tantum et Assistens habent locum peculiarem inter ceteros;

2° Visitor et Vicevisitor in omnibus domibus suae Provinciae vel Viceprovinciae primum locum occupant;

3° Delegatus Superioris Generalis ad missionem vel visitationem canonicam implendam in aliqua domo, toto tempore ipsius missionis vel visitationis, primum locum in ea domo occupant;

4° ceteri omnes locum habent iuxta usus et mores uniuscuiusque Provinciae, salvis legibus hospitalitatis et caritatis (1).

144. In actibus solemnibus quoad praecedentiam inter personas Congregationis, iuxta praxim in ipsa Congregatione

1 Art. 5, §§ 1-4.

acceptam attendetur auctoritas, ordo sacer, antiquitas vocationis et aetatis sodalium (1).

## **DE STRUCTURIS CONGREGATIONIS**

### **De Secretariatu Operum**

145. In Curia generali Secretariatus Operum cui competunt coordinatio, impulsio et revisio quoad munera Congregationis, debet, secundum exigentiam et utilitatem, varias sectiones habere. Ne desit sectio pro missionibus ad gentes.

### **De Provinciis et Viceprovinciis**

146. Superior Generalis, gravissima de causa, de consensu sui Consilii et auditis Provinciae Visitatore, Consultoribus, et, si tempus suppetat, quamplurimis confratribus, regimen alicuius Provinciae, ad breve tempus, assumere potest, per Commissarium cum facultatibus ab ipso delegatis exercendum. De his autem, proximo Conventui generali rationes exponere tenetur.

147. Curet Superior Generalis ut inter Provincias debita habeatur proportio quoad numerum domorum et sodalium, et, si res ferat, dividantur illae quae nimis extensae sunt; quae vero nimis parvae sunt, uniantur (2).

148. §1. Divisa Provincia ita, ut distincta Provincia erigatur, etiam bona omnia quae in commodum Provinciae erant destinata et aes alienum quod pro Provincia contractum fuerat, a Superiore Generali cum suo Consilio debita proportione ex bono et aequo dividi debent, salvis piorum fundatorum seu offerentium voluntatibus, iuribus legitime quaesitis, ac normis particularibus quibus Provincia regitur (3).

§ 2. Repartitio archivi Provinciae matris decisioni Superioris Generalis, auditis prius bus quorum intersit (4).

149. Viceprovincia, natura sua, est transitoria.

1 Art. 5, §§ 14; can. 106.

2 Art. 16, § 2.

3 Art. 17.

4 DCG 6.

## DE OFFICIIS CONGREGATIONIS

### DE OFFICIIS IN CURIA GENERALI

#### De Superiore Generali

150. Superior Generalis eligendus est qui, praeter requisita a Constitutionibus, sit:

- 1° virtutum, praesertim humilitatis et caritatis, valde studiosus;
- 2° in suis orationibus et actionibus Domino intentus et ad apostolatus servitium proclivis;
- 3° iudicio solido, scientia congruenti, necnon aequo prudentiae atque discretionis sensu praeditus;
- 4° animi vigilantia ac firmitate pollens;
- 5° rerum Congregationis notitia ac experientia sufficienti instructus;
- 6° apud nostros et externos praeclara extimatione gaudens (1).

151. Superioris Generalis est:

- 1° Omni cura studere ut spiritus Sancti Fundatoris firmus et fervens ubique foveatur, Constitutiones et Statuta rite servantur, et apostolica Congregationis actuositas eiusdemque renovatio indesinenter promoveatur;
- 2° ordinationes condere in bonum Congregationis, quae sunt, nisi ab ipso, a successore aut a fuerit; necnon observandae Conventu generali aliter provisum approbare directoria et varias normas a Provinciis editas;
- 3° visitationem canonicam domorum, Provinciarum, Viceprovinciarum, missionum sive per se, sive per alium a se delegatum peragere;
- 4° uti facultatibus specialibus a S. Sede Congregationi per indulta concessis et eas subditis communicare, imminuere, revocare prout magis expedire censuerit; privilegiorum nostrorum usum subditis restringere vel etiam tollere (2);
- 5° de consensu sui Consilii nominare Oeconomum generalem, Procuratorem generalem apud S. Sedem, Visitatores, Vicevisitatores eorumque Consultores, eosdemque, iusta de causa, destituere;

I Art. 22.

2 Art. 25, § 2.

6° confirmare Superiores domorum, Directores seminarii interni et scholasticorum, Oeconomos provinciales et viceprovinciales, eosdemque, iusta de causa et salva auctoritate Visitatoris et Vicevisitatoris, destituere;

7° de consensu sui Consilii, erigere Provincias, Viceprovincias easque suppressere, iis servatis quae a iure communi et particulari nostro praescribuntur;

8° cum voto deliberativo sui Consilii sodales durante professione dimittere, ad normam iuris communis et particularis nostri; poenis canonicis uti contra contumaces;

9° contractus maioris momenti, servatis de iure servandis, inire; in rebus tamen maximi momenti de consensu suorum Assistentium, iuxta normas a Conventu generali datas;

10° convocare Conventum generalem, ipsumque dirigere et convocatos, de consensu ipsius Conventus, dimittere;

11° in omni Conventu, cui praeest, praerogativa gaudere dirimendi suffragiorum paritatem post tertium scrutinium, praeterquam in electionibus;

12° relationes de statu Congregationis ad S. Sedem mittere ad normam iuris (1).

152. § 1. Superior Generalis acceptare nequit dignitates ecclesiasticas absque consensu Conventus generalis, nisi de praecepto vel licentia S. Sedis.

§ 2. Ut totius Congregationis gubernationi impensius vacare queat, nullius domus peculiaris nec domus Curiae generalis regimini ullo modo vacabit.

§ 3. In nullum opus externum etiam pium, quod nec ad officium suum, nec ad Institutum pertineat, incumbet (2).

153. Si evenerit ut Superior Generalis manifeste indignus vel ineptus factus fuerit ad munus suum adimplendum, tunc Assistentium erit de re certiore facere S. Sedem, cuius mandatis standum erit (3).

### **De Vicario Generali**

154. Absente vel impedito Superiore Generali, Vicarius gene-

1 Art. 24.

2 Art. 25, §§ 3-5.

3 Art. 27.

ralis eiusdem auctoritate insignitur, salvis iis quae ipse sibi reservaverit, et eidem reddet rationem de omnibus rebus alicuius momenti.

155. Vacante munere Superioris Generalis, Vicarius generalis:

1° Congregationem ad interim regit (1);

2° utetur iisdem Assistentibus, Admonitore, Secretario et Oecono generalibus, Visitoribus, Vicevisitoribus, Superioribus localibus et aliis officialibus a Superiore Generali nominatis vel confirmatis. Eos tamen non poterit mutare, nec alio mittere, nisi ob aliquam gravissimam causam a maiore parte sui Consilii approbatam.

Si quis ex eis quacumque de causa ab officio cessaverit, de Consilii sui consensu ad plura suffragia, poterit alium nominare vel confirmare iuxta Constitutiones.

Post electionem deputatorum ad Conventum sive provincialem, sive generalem, nullum ex ipsis eo poterit mittere unde commode et opportune ad eundem Conventum venire impediatur (2).

3° Si Superior Generalis defunctus est, curabit ut pro illo fiant suffragia (3).

4° Conventum generalem ordinarium ad Superioris Generalis et aliorum officialium electionem convocabit, diem locumque designabit, quamprimum poterit, ita ut eius celebratio fiat intra spatium sex mensium ab habita notitia vacationis officii, nisi necessitas ex consensu Assistentium aliquam exegerit dilationem, non tamen ultra tres menses (4).

156. Vicarius generalis post electionem Superioris Generalis cessabit a munere regendi ad interim Congregationem et dirigendi Conventum, et in sequentibus sessionibus ius suffragandi habebit, sedens primus ante Assistentes et Visitatores (5).

### **De Assistentibus Generalibus**

157. Assistentes generales eligendi sunt, de numero sive eorum qui Conventui intersunt, sive absentium, et sin-

1 Art. 33.

2 Art. 32, §§ 1-3, 5.

3 Art. 31, § 2; Ius Part., p. 13.

4 Art. 34, § 1.

5 Art. 34, §§ 2-5.

guli Assistentes eligi debent ex diversis nationibus (1), hoc modo:

- 1° Conventus generalis dividit Congregationem in tot coetus provinciarum quot Assistentes eligendi sunt;
- 2° unusquisque coetus provinciarum, per suos congregatos in Conventu generali, designat tres candidatos ex provinciis huius coetus;
- 3° Conventus generalis eligit de unoquoque coetu provinciarum unum ex candidatis, qui erit Assistens generalis;
- 4° ordo inter Assistentes erit ordo vocationis.

158. Assistentium est:

- 1° opera et consilio Superiorem Generalem in regimine Congregationis iuvare, tam in rebus pertinentibus ad doctrinam, quam in agendis;
- 2° sincere et fideliter, coram Domino, a partium studio alieni, proprium suffragium seu sententiam pandere, secundum nostrae Congregationis doctrinam et praxim circa omnia quae a Superiore Generali in Consilio sint proposita, et de omnibus servare secretum (2);
- 3° intimas et frequentes instituere consuetudines cum provinciis operibusque Congregationis, quibus providendi Superior Generalis curam eis forte commisit, cum peculiaribus facultatibus.

### **De Admonitore Superioris Generalis**

159. Admonitoris est Superiorem Generalem commonefacere de rebus non levis momenti, quae eiusdem personam atque officium spectant, et quidem cum humilitate et caritate (3).

### **De Secretario Generali**

160. Secretarii generalis est:

- 1° Superioris Generalis iussu et nomine acta et epistolas conscribere, quae ad negotia Congregationis pertinent; item negotia ad ipsum spectantia tractare ad normam iuris;

1 Art. 38, § 1.

2 Art. 40, §§ 1, 2.

3 Art. 44.

2° Archivi Congregationis curam habere, in quo omnes scripturas utiles accurate asservare debet;

3° palam facere Acta S. Sedis nostram Congregationem respicientia, itemque Decreta Conventuum generalium necnon epistolas circulares Superioris Generalis, et omnia quae ad historiam Congregationis spectant;

4° Catalogum Provinciarum, Viceprovinciarum, domorum, personarum Congregationis conficere; defunctos nostros significare pro suffragiorum applicatione; atque notitias nostrorum, qui pie decesserint, iuxta Superioris Generalis instructionem, typis mandare (1);

5° per opportuna periodica sodalibus notitias praebere de quaestionibus pastoralibus necnon de experimentis quae in diversis regionibus fiunt quoad ministeria nostra, praesertim vero quoad missiones (2).

### **De Oecono Generali**

161. Ratione officii, Oeconomus generalis tenetur:

1° bona Congregationis administrare sub directione Superioris Generalis et sub vigilantia Consilii generalis ad normam iuris communis at particularis nostri et ad mentem benefactorum vel donantium;

2° invigilare super Oeconomos provinciales et domesticos, necnon super omnes qui in negotiis Congregationis partem habent;

3° bis in anno, immo quoties Superior Generalis petierit, de administratione rationem reddere Superiori Generali cum suo Consilio (3).

### **De Procuratore Generali apud Sanctam Sedem**

162. Procuratoris generalis Congregationis apud Sanctam Sedem est:

1° cum reverentia et fidelitate erga S. Sedem ea adimplere, quae a Superiore Generali ipsi commissa sunt;

2° monere Superiorem Generalem de negotiis quae

1 Art. 47, § 1, 1°, 2°.

2 Cf. Reg. Secr. Gen.

3 Art. 51; Cf. Reg. Oec. Gen.



apud S. Sedem tractanda sunt, eique transmittere decreta, rescripta et cetera S. Sedis documenta quae Congregationem nostram respiciunt;

3° certiozem facere Superiorem Generalem de omnibus quae ipse a S. Sede resciverit deque decretis datis a SS. Congregationibus, quae utilia etiam Instituto nostro videantur (1).

163. Nullum unquam negotium sive alicuius Provinciae, sive domus Congregationis, sive etiam particulare, praeter postulationes circa facultates ordinarias, suscipiet, nisi prius ipsi certo constet de Superioris Generalis consensu, quando agitur de rebus quae totam Congregationem spectant, aut audito Visitatore quando agitur de rebus quae ad Provinciam eiusdemve domos attinent (2).

164. Omnia negotia, tam Congregationis, Provinciarum, domuumve, quam singulorum sodalium, apud S. Sedem tractanda, per Procuratoris generalis ministerium expedientur (3).

165. § 1. Documenta et instrumenta omnia munus suum spectantia, diligenter et accurate in Procuratoris generalis archivo servet (4).

§ 2. Rationem totius administrationis oeconomicae sui muneris Superiori Generali reddet (5).

## **DE OFFICIIS IN ADMINISTRATIONE PROVINCIALI**

### **De Visitoribus deque Vicevisitoribus**

166. Ad munus Visitoris assumi debet sacerdos qui sit operibus Congregationis instructus et de bono confratrum studiosus (6).

167. Visitoris ius et officium est:

1° candidatos admittere ad seminarium internum audito suo Consilio;

2° sodales admittere ad primam professionem et ad perpetuam cum consensu Consilii; ad renovationem autem temporariam, audito Consilio;

3° sodales praesentare ad ordines, titulo mensae com

1 Art. 55.

2 Art. 56, § 1.

3 Art. 56, § 2.

4 Art. 57.

5 Cf. Reg. Proc. Gen.

6 Art. 109, § 2.

munis, ac dimissorias litteras dare pro eorum ordinatione, et quidem de consensu sui Consilii, si de ordinibus maioribus agatur;

4° dispensare, de consensu Consilii, subditos suos a professione temporaria;

5° domos de sodalibus necessariis providere, illosque de domo in domum, auditis consultoribus, excepto casu urgentiori, in quo tamen consultores monere debet, transferre;

6° normas statuere quoad media communicationis socialis et vehicula. Caveat tamen ne quid sit contra paupertatem et uniformitatem statui nostro convenientem;

7° normas tradere quoad itinera et commorationes extra domum;

8° admittere de consensu Consilii sui et auditis omnibus, quorum interest, convictores in aliqua nostra domo per aliquod determinatum tempus;

9° approbare ordinem diei domus a Superiore locali propositum;

10° domos et confratres frequenter invisere; et quidem modo canonico saltem alternis annis;

11° nominare, de consulto sui Consilii, moderatorem provincialem educationis, assistentem, subassistentem, consultores, admonitorem, oeconomus domus, professores et praefectos studiorum locales; pro suo autem arbitrio nominare confessores nostrorum et praedicatores;

12° nominare, de consensu sui Consilii, Superiores domorum, directores Seminarii interni et scholasticorum, et oeconomum provincialem; quos Superior Generalis confirmat;

13° Superiorem Generalem, tempore opportuno, praemonere de nominatione facienda consultorum provincialium;

14° de consensu sui Consilii contractus necessarios et convenientes inire ad normam iuris communis et particularis nostri;

15° super Constitutionum, Statutorum et regularum observatione invigilare, eamque promovere, abusus corrigendo, et si casus ferat, canonicis poenis utendo;

16° accurate adimplere ea quae ei mandaverit Superior Generalis, eique, tempore et modo statuto, relatio-

nem mittere de rebus domorum et Provinciae, necnon de visitationibus canonicè peractis;

17° Superiorem Generalem quam primum certiore facere de admissione sodalium ad professionem et ad ordines maiores;

18° per se vel per alios idoneos curare archivum provinciale;

19° votum habere in Conventu generali;

20° praesidentiam ac directionem exercere in Conventu provinciali, quem ipse convocare debet, secundum Constitutiones et Statuta Congregationis;

21° praerogativa gaudere dirimendi paritatem suffragiorum non secretorum (1).

168. Visitator nequit mutare locum suae residentiae sine consensu Superioris Generalis (2).

169. § 1. Vicevisitator, Superior maior, potestate ordinaria et vicaria praeditus, Viceprovinciam regit cum suo Consilio ad normam Constitutionum Statutorumque Congregationis et secundum statum erectionis conventionemque particularem cum Provincia matrice.

§ 2. Conventio, tempore opportuno, recognoscenda est in Consilio turn provinciali turn viceprovinciali, et, si conveniunt de mutationibus, hae faciendae sunt accedente approbatione Superioris Generalis cum suo Consilio (3).

170. In conventionem particulari inter Provinciam et Viceprovinciam, quae per se indolem iuridicam habet, quaestiones in pactum deducantur, quae iuxta diversa regionum et temporum adiuncta necessaria vel opportuna videantur, uti, v. g.: de numero et qualitate sodalium ad Viceprovinciam mittendorum; de iure Visitatoris quoad sodalium mutationes; de expensis pro sustentatione Provinciae matricis aut pro formatione sodalium, illorum praesertim qui ad Viceprovinciam mittendi sunt, aliaque huiusmodi (4).

### **De Assistente Visitatoris**

171. Absente vel impedito Visitatore, Assistens Visitatoris eiusdem auctoritate insignitur, salvis iis quae ipse Visi-

1 Art. 110, 112.

2 Art. 112, § 1.

3 Reg. Vicevisit.

4 Reg. Vicevisit.

tator sibi reservaverit, et ei reddet rationem de omnibus rebus.

### **De Admonitore Visitatoris**

172. Admonitoris Visitatoris est cum humilitate et caritate Visitatorem commonefacere de rebus non levis momenti quae eiusdem personam atque officium spectant (1).

### **De Consilio Provinciali**

173. In Consilio Visitatoris consultores repraesentent, quantum fieri potest, varia munera Provinciae.

174. Consultorum provincialium est:

- 1° Visitatorem in Provinciae regimine adiuvare, etiam in visitationibus canonicis domorum faciendis;
- 2° pergere ad Consilium coadunandum saltem semel in mense, et quoties Visitatori visum fuerit ad negotia Provinciae tractanda;
- 3° sententiam suam seu suffragium consultivum vel deliberativum iuxta casus, sincere praebere, secretum custodire circa ea quae tractanda fuerint (2). De Oecono Provinciali

175. Oeconomi provincialis est:

- 1° curare ut omnia bona temporalia recte in foro ecclesiastico et civili possideantur;
- 2° invigilare, etiam per visitationem de mandato Visitatoris, super Oeconomos domorum;
- 3° curare ut unaquaeque domus solvat summam assignatam pro expensis Provinciae et praesertim ad succurrendum nostrorum formationi et, suo tempore, mittere ad Oeconomum generalem taxam pro fundo generali;
- 4° curare ut iusta merces nostris operariis solvatur et accurate observentur leges civiles circa assecurationes sociales;
- 5° semper in ordine servare varia regesta expensarum et reddituum, necnon alia documenta;
- 6° rationem reddere Visitatori eiusque Consilio de sua administratione (3).

1 Reg. Admonit. Visit.

2 Art. 116; Ius Part., p. 34-35; Reg. Cons. Prov.

3 Art. 117, § 2; Reg. Oec. Prov.

## DE OFFICIIS IN ADMINISTRACIONE LOCALI

### De Superioribus

176. § 1. Superioris muneris formalis possessio fit lectione seu communicatione documenti nominationis subditis facta.

§ 2. Superior removeri ab officio poterit quotiescumque Visitatori de consensu sui Consilii et accedente approbatione Superioris Generalis id visum fuerit in Domino ex iusta et proportionata causa t.

§ 3. Visitator priusquam Superiorem confirmet in eadem domo, statum domus eiusque sodalium mentem inquiret.

177. Superioris ius et officium est:

1° curare ut omnes et singuli domus sodales in suae vocationis obligationum observantiam incumbant; ipsemet omnibus verbo et exemplo praecellat (2);

2° munera et officia quorum attributio Superioribus maioribus non est reservata, committere confratribus domus (3)

3° suorum curam habere, tam in spiritualibus quam in temporalibus, cum humilitate et caritate (4);

4° subditos monere atque corrigere, etiam adhibitis poenis canonicis, si opus fuerit (5);

5° Visitatorem certiore facere de statu domus sibi concredita;

6° conventum domesticum convocare atque dirigere quoties a Visitatore statuatur; et interesse Conventui provinciali (6);

7° audito suo Consilio, ordinem diei suae domus proponere approbationi Visitatoris;

8° in Consilio domestico exponere ea quae respiciunt bonum spirituale et temporale domus necnon progressum apostolatus (7);

9° praecavere ne novitates alicuius momenti in do-

1 Art. 121, § 2.

2 Art. 123, 1 1 .

3 Art. 125, § 4; Reg. Sup. Loc.

4 Art. 123, 2°.

5 Art. 123, 3°; Ius Part., p. 37.

6 Art. 123, 4°, 5°.

7 Art. 126, § 1.

mum suam introducantur sine consensu Visitatoris (1);  
 10° habere archivum et sigillum propriae domus (2);  
 11° confratribus notificare decreta et notitias Congregationis;  
 12° directe et immediate advigilare ut onera missarum adimpleantur (3).

### **De Assistente, Consultoribus, Admonitore et Oecono**

178. Exceptis casibus in quibus Assistens totum superioritatis officium exercet, praecipua sui muneris ratio est Superiorem adiuvere in domus regimine.

179. Requiritur ut Assistens praeter regulam officii sui apprime noscat etiam regulas officii Superioris aliorumque singulorum officialium domus, ut fideliter observentur (4).

180. Officium Subassistentis est, in iis quae ei commendata fuerint, Assistentem adiuvere (5).

181. Consultorum localium est:

1° consiliis suis Superiorem adiuvere in rebus quae bonum spirituale et temporale domus necnon progressum apostolicum respiciunt;  
 2° interesse Consilio domestico quoties id a Superiore convocetur;  
 3° sententiam suam seu suffragium consultivum, vel deliberativum, iuxta casus, sincere praebere, et secretum custodire circa ea quae tractata fuerint (6).

182. Admonitoris Superioris est cum humilitate et caritate Superiorem commonefacere de rebus non levis momenti, quae eiusdem personam atque officium spectant (7).

183. Oeconomi localis munus a munere Superioris localis semper distinguatur, nisi necessitas aliud exigat (8). Ipsius est:

1° curare actus ordinariae administrationis domus,

1 Art. 127, § 1.

2 Art. 128.

3 Art. 128.

4 Reg. Ass. Loc.

5 Reg. Subass. Loc.

6 Reg. Cons. Loc.

7 Reg. Admon. Sup. Loc.

8 Art. 125, § 3.

stando regulis officii sui et dispositionibus a Superiore receptis;  
 2° actus extraordinariae administrationis submittere Superiori, qui rem decernit, praehabitis, ubi requiritur, consultatione consultorum et licentia auctoritatis altioris;  
 3° Superiori locali eiusque Consilio et Oeonomo provinciali rationem reddere administrationis, et, vocatus, Consilio domestico suam mentem aperire, praesertim si agitur de re oeconomica (1).

### **De moderatore provinciali educationis**

184. Officium Moderatoris educationis committi potest sive uni tantum personae sive pluribus, iuxta diversos gradus formationis et varias scholarum species, sive consilio educationis provinciali.

185. Si consilium educationis adsit in Provincia, eius membra nominantur a Visitatore cum suo Consilio.

186. Praeter ea, quae in Constitutionibus statuuntur de munere Moderatoris provincialis educationis, ipsius est:

1° attendere actualitati et recognitioni rationis formationis et studiorum eamque ad praxim deducendum curare;

2° praevidere necessitates Provinciae in re educationis, praesertim cogitare de copia professorum eorumque praeparatione, necnon de mediis formationis suppeditandis;

3° Visitatori petenti indicare quinam ex Provinciae sodalibus indole, virtute et ingenio apti sint ad studia superiora, tum ecclesiastica tum civilia, iuxta eiusdem Provinciae exigentias, peragenda, vel ad munera directionis aut administrationis maioris momenti adeunda.

### **De professoribus**

187. § 1. Visitator, cuius est professores nominare, audito suo Consilio, illos seligat qui, praeter qualitates in Constitutionibus recensitas, vocationem docendi habere videantur seque libenter huic ministerio dedere velint. In seligendis autem professoribus, Visitator magnopere attendat ad qualitates etiam humanas sodalium, ut

1 Reg. Oec. Loc.

alumni, exemplo et directione eorum, facultates naturales apte evolvere et seipsos ad altiora disponere valeant. Inter professores ne desint qui peculiari modo sapientia et competentia polleant, ut alumni ad propriam vitam spiritualem ordinandam et ad voluntatem divinam de suo statu agnoscendam fraterne adiuvari possint.

§ 2. Praefectus studiorum praesentatur a consilio professorum et confirmatur a Visitatore.

188. Magistri et ceteri omnes, ad quos spectat quocumque modo puerorum atque iuvenum institutio, hos ita erudiant, ut sollicitudinem Domini pro grege suo cognoscentes et necessitates Ecclesiae considerantes ipsi parati sint generose Domino vocanti respondere (1).

189. Professores in doctrina Ecclesiae exponenda clare distinguant ea, quae tamquam de fide tenenda sunt, et ea, quae certa sunt vel ex consensu doctorum maiori mino- rive probabilitate probantur. Serio et aperto spiritu vacent novarum opinionum studio, ut alumni segura via incedant.

190. Iuxta paedagogiae normas initient alumnos in investigatione scientifica ita ut eorum mentes ad accuratiorem et profundiorum quaestionum intelligentiam deveniant et inter ipsos vocationes ad investigationem scientificam magis magisque excitentur.

191. Provideat Visitator ut professores opportune ad tempus interrumpant laborem magisterii, ut optata ipsorum renovatio atque accommodatio efficaciore evadant studiis specialibus.

192. Superiores domorum studiorum caveant ne magistri multiplicibus addicantur officiis; congruum tamen videtur ut professores aliis apostolatus operibus, cum suo munere consentaneis, aliquo modo incumbant.

## **DE CONVENTIBUS CONGREGATIONIS**

### **Normae generales**

193. § 1. Praeter sacerdotes a votis professos, in nostra Congregatione gaudent iure vocis activae:

1° scholastici a votis perpetuis professi in ordine diaconatus constituti;

1 PO 11; OT 2; PC 24.



2° fratres a votis perpetuis professi qui decem annos transegerint post receptionem in Congregationem.

§ 2. Fratres a votis perpetuis professi qui duodecim annos transegerint post receptionem in Congregationem gaudent etiam iure vocis passivae in Conventu domestico et ad Conventum provincialem.

194. Eligendi sunt in deputatos, qui habeant congruam notitiam et experientiam rerum atque functionum nostrarum, zelum conservandi ac promovendi spiritum et opera Instituti, et prudentiam in deliberando et agendo (1).

195. Ante electiones faciendas peropportunum est sibi invicem petere et dare notitias circa qualitates eligendorum. Caveant tamen electores a directa vel indirecta suffragiorum captatione, tam pro seipsis quam pro aliis (2).

196. Si quis ex electoribus praesens in domo, in qua fit electio, ipsi electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur (3).

197. § 1. In Conventibus, ex iure sunt scrutatores, simul cum praeside ante electionem secretarii, et cum secretario post ipsius electionem, duo aetate iuniores ex congregatis.

§ 2. Si quis ex scrutatoribus selectus fuerit ad aliud officium, substituatur ab alio iuniore ex congregatis. 198. In Conventibus praecedentiae ordo statuitur in Directoriis Conventuum, iuxta praxim in Congregatione acceptam et exigentias celebrationis Conventuum (4).

199. Congregati tenentur ad secretum servandum circa ea quae illud requirunt iure naturali et canonico, praesertim circa notitias de candidatis, tempore Conventus datas vel acceptas, et quoad manifestationem illorum pro quibus unusquisque suffragium tulerit (5).

200. Periti vocari possunt tum a Superiore Generali ad Conventum generalem, tum a Visitatore ad Conventum provincialem; qui tamen votum in Conventu non habent;

1 Art. 61, § 1.

2 Art. 63, §§ 1, 2.

3 Art. 64, § 1.

4 Art. 5, § 5; Ius Part., p. 5-6.

5 Art. 68, § 1.

rogati autem audiri possunt de rebus ad ipsos pertinentibus (1).

### **De Conventu Generali**

201. § 1. Convocato Conventu generali ad normam Constitutionum, ante eius celebrationem, tempore opportuno, Superior Generalis vel Vicarius generalis cum suo Consilio nominat Commissionem praeparatoriam Conventus generalis cum munere fontes providendi, in ordinem vota confratrum propositaque Provinciarum adducendi et ea Communitati mittendi ut omnes, speciatim Visitatores et delegati ad Conventum generalem examinent.

§ 2. Haec Commissio mittere debet omnia proposita Provinciis non infra unum mensem ante initium celebrationis Conventus generalis.

§ 3. Incepta celebratione Conventus, munus huius Commissionis cessat.

202. § 1. Si Visitator vel Vicevisitator impediatur quominus se conferat ad Conventum generalem, in suum locum substituet primum ex electis in deputatos a Conventu provinciali vel viceprovinciali; primus autem substitutus succedet in deputatum.

§ 2. Si Visitator vel Vicevisitator vita decesserit vel cessaverit ab officio, qui interinale regimen Provinciae vel Viceprovinciae tenet, ad Conventum generalem perget Visitatoris vel Vicevisitatoris loco (2).

203. Hora statuta, legitime convocatis ad Conventum generalem de facto in aula celebrationis praesentibus, post invocationem S. Spiritus et Beatae Mariae Virginis et brevem exhortationem Praesidis, ita proceditur:

1° Praeses per se vel per alium rationem dat de statu universae Congregationis;

2° Conventus ad plura suffragia eligit Secretarium suum, qui et primus scrutator erit, cuius est relationes sessionum et documenta conficere;

3° Praeses praesentat quinque nomina ex quibus duo moderatores seligendi sunt ad maioritatem relativam suffragiorum; horum munus est adiuvare Praesidem et dirigere discussiones;

1 DCG 19.

2 Art. 73, §§ 1, 2.

4° Praeses praesentat duo nomina adiutorum Secretarii Conventus, qui tamen approbandi sunt a maioritate absoluta praesentium in Conventu;

5° Conventus eligit ad plura suffragia quattuor, ex diversis Provinciis, qui simul cum Praeside et moderatoribus erunt membra Commissionis centralis. Huius Commissionis Praeses et Secretarius erunt ipsi Praeses et Secretarius Conventus; Secretarius tamen, ius suffragii non habet.

204. Commissionis centralis est:

1° prosequi labores Commissionis praeparatoriae Conventus generalis;

2° coordinare labores totius Conventus generalis et Commissionum studiorum;

3° praesentare approbationi Conventus generalis elenchum Commissionum studiorum, numerum et nomina membrorum ex quibus constet unaquaeque Comissio; approbatio fit a maioritate absoluta praesentium in Conventu;

4° approbationi Conventus generalis praesentare specialem modum procedendi;

5° propria proposita afferre sive Commissionibus studiorum sive Conventui generali.

205. § 1. Tot Commissiones studiorum constituentur quot videantur necessariae ad negotia in Conventu pertractanda.

§ 2. Hae Commissiones constare possunt ex quinque vel septem vel novem membris, quibus addere licet aliquos peritos sed sine iure suffragii.

§ 3. Membra uniuscuiusque Commissionis eligunt Praesidentem et Secretarium et designant relatores, quorum munere ipsi Praeses et Secretarius fungi poterunt.

§ 4. Post studium et discussionem quaestionum in Commissione, Praeses petit suffragia membrorum circa conclusiones.

206. Commissionum studiorum est:

1° proposita, desiderata et solutiones attente perpendere, clare redigere, et Conventui, per relatores, debito iudicio fulcita, praesentare;

2° modos et animadversiones examinare, et recipere vel reicere argumenta adducendo Conventui;

3° emendationes in sessione generali approbatas in textum afferre et hunc definitiva redactione exaratum, Conventui submittere.

207. Omnes congregati possunt constituere varios coetus ad discutiendum de negotiis et quaestionibus Conventum respicientibus.

208. Peractis iis de quibus in art. 203, Conventus secundum seriem confectam, tractabit de rebus seu negotiis gravibus quae respiciunt observantiam, ministerium apostolicum, formationem nostrae iuventutis, regimen Instituti; electio Superioris Generalis et aliae electiones circa finem Conventus fiunt (1).

209. Si gravia incommoda ex alicuius praescripti Constitutionum observantia, in quibusdam locis iam sint secuta, vel secutura manifeste praevideantur, poterit proponi ut ipsis efficacia remedia a Conventu applicentur, vel ad Sedem apostolicam recursus fiat (2).

210. De omnibus rebus etiam substantialibus declar[at]io seu explicatio a Conventu peti poterit, ut, si ei visum fuerit, aliquam dilucidationem circa rem propositam praebeat (3).

211. § 1. Res proponantur scripto et modo disiunctivo. Ea vim obtinebunt quae, demptis suffragiis nullis, placuerit parti absolute maiori eorum qui suffragium tulerunt; quod si suffragia sint paria, secundum et etiam tertium peragatur scrutinium, et si in tertio quidem suffragia sunt paria, res differatur ad ulteriorem considerationem, salvo iure Superioris Generalis dirimendi paritatem.

§ 2. Si vero res proponi nequeat in forma disiunctiva, tunc id vim iuris habebit quo, demptis suffragiis nullis, placuerit parti absolute maiori suffragantium, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio. Si suffragia paria fuerint, post tertium scrutinium, res differatur ad ulteriorem considerationem, salvo iure Superioris Generalis dirimendi paritatem.

§ 3. Pro mutationibus quae a S. Sede exostulandae sunt, requiruntur duae de tribus partibus suffragiorum praesentium (4).

1 Art. 87, § 1.

2 Art. 87, § 3.

3 Art. 87, § 4.

4 Art. 88, §§ 1, 2, 3.

212. Proposita exhibenda Conventui generali illa erunt quae in Domino iudicaverit ipse Superior Generalis vel Vicarius generalis audito suo Consilio, et quae proveniunt ex Conventibus provincialibus aut viceprovincialibus et ex membris ipsius Conventus (1).

213. § 1. Idcirco a die constitutionis Commissionis centralis ad diem designatam a Superiore Generali, singula membra Conventus ad illam ferent, si adhuc non fuerint missa, tum proposita quae habent nomine Conventus provincialis vel viceprovincialis deferenda, tum ea quae circa praefata ipsi observarunt. Quae omnia debent esse scriptis mandata, et subscripta.

§ 2. Actus Conventus fideliter a Secretario Conventus redacti et congregatis perlecti, ab ipsis subscribendi sunt et a Superiore Generali tempore et modo opportuno promulgandi (2).

214. Cum vero dies electionis Superioris Generalis advenerit, omnes congregati Sacrum Deo offerent pro felici electione, et, hora statuta, coadunabuntur sub praesidentia Superioris Generalis, vel, eius defectu, Vicarii generalis (3).

215. Sessio incipiet invocatione Sancti Spiritus et Beatae Mariae Virginis. Ad electores, Praeses brevem exhortationem habebit per se vel per alium a se cum approbatione maioris partis Assistentium deputatum. Dein singuli eligent quem secundum Deum eligendum censuerint (4).

216. In schedulis praeparatis, singuli inscribent nomen illius quem elegerint in Superiorem Generalem, et, ordine servato, unusquisque accedet ad mensam praeparatam; tunc, stans, dicet: "Ego illum eligo in Superiorem Generalem quem coram Deo eligendum iudico"; inde schedulam plicatam in pyxidem mittet (5).

217. § 1. Omnibus schedulis numeratis, si earum numerus excedat eligentium numerum, nihil actum est et novae schedulae sunt scribendae. Secus, legentur clara voce nomina in schedulis inventa et ille qui duas ex tribus

1 Art. 89.

2 Art. 91 §§ 1, 2.

3 Art. 76.

4 Art. 77. 5 Art. 78.

partibus suffragiorum, demptis nullis, obtinuerit, ipse erit Superior Generalis (1).

§ 2. Si in primo scrutinio nemo necessaria suffragia obtinuerit, experiendum erit secundum scrutinium eodem modo quo factum est primum; si neque in secundo, pari modo tertium tentabitur scrutinium, immo et quartum. Post quartum inefficax scrutinium, fiat quintum in quo requiritur et sufficit maioritas ad plura absolute suffragia, demptis nullis.

§ 3. Post quintum inefficax scrutinium, fiat sextum, in quo voce passiva gaudeant solummodo duo candidati qui in quinto scrutinio maiorem, etsi parem, suffragiorum numerum tulerunt, nisi plures, in primo aut in secundo loco, paritatem obtinuerunt; quo in casu etiam isti gaudeant voce passiva in sexto scrutinio in quo requiritur et sufficit maioritas relativa suffragiorum, demptis nullis, et in casu paritatis, candidatus senior vocatione aut aetate electus habeatur (2).

§ 4. In singulis sessionibus non procedatur ultra duo scrutinia.

218. § 1. Electione legitime peracta et ab electo acceptata, qui praesidet, decreto electionis exarato, clara voce proclamabit electum; sed, si ipse Praeses in Superiorem Generalem electus fuerit, Secretarius Conventus decretum conficiet et primus moderator electum proclamabit.

§ 2. Qui vero electus fuerit, commissum sibi onus non renuet, nisi gravi de causa Conventui probata.

§ 3. Absoluta electione et gratiis Deo relatis, comburentur schedulae.

§ 4. Si neoelectus non sit praesens, advocetur et usque ad eius adventum Conventus suspendatur (3).

219. § 1. Electione Superioris Generalis absoluta, Conventus generalis ordinarius ad electionem Assistentium Superioris Generalis, Vicarii generalis et Secretarii generalis Congregationis procedit in distinctis scrutiniis; in huiusmodi electione Superior Generalis se abstinebit a ferendo suffragio (4).

§ 2. Ii electi habebuntur qui, demptis suffragiis nullis,

1 Art. 79.

2 Art. 80.

3 Art. 81.

4 Art. 83, § 1.

plura absolute suffragia retulerint quique ut electi a Praeside Conventus proclamati fuerint (1).

§ 3. Si in primo et secundo scrutinio nemo fuerit electus, tunc in tertio electus erit qui maiora relative obtinuerit suffragia et in casu paritatis senior vocatione aut aetate (2).

§ 4. Si quis ex Assistentibus electus absit, quam citius Superior Generalis ei electionem notam faciet, et cetera perficiet quae in Conventu fieri debent (3).

220. Quavis de causa habeatur Conventus generalis, si contingat eo vel iam indicto, vel coacto, vel intra semestre post ipsum dissolutum, Superiorem Generalem e munere cessisse, membra ex officio et delegati missi a singulis Provinciis et Viceprovinciis ad Conventum generalem, absque nova deputatione, debent a Vicario generali convocari tantum ad novum Superiorem Generalem eligendum (4).

### **De Conventu Provinciali et Viceprovinciali**

221. § 1. Visitator vel Vicevisitator cum suo Consilio, convocando Conventum provincialem vel viceprovincialem, nominat Commissionem praeparatoriam Conventus ex quinque membris constantem, quorum unum e Consilio provinciali vel viceprovinciali seligitur; alia autem quattuor extra Consilium provinciale seliguntur, ita tamen ut duo sint Superiores, duo vero non Superiores.

§ 2. Commissio autem ad plura suffragia eligit suum praesidem et secretarium.

§ 3. Incepta celebratione Conventus, munus huius Commissionis cessat.

222. Huius Commissionis est:

1° electionibus deputatorum ad Conventum provincialem vel viceprovincialem providere;

2° vota confratrum et proposita Conventuum domesticorum in ordinem adducere et confratribus, speciatim Superioribus et delegatis communicare ut ea examinent ante Conventus provincialis vel viceprovincialis celebrationem.

1 Art. 83, § 2.

2 Art. 83, § 3.

3 Art. 83, § 4.

4 Art. 84, § 1.

223. Conventui provinciali vel viceprovinciali, praeter Visitatorem vel Vicevisitatorem, Oeconomum provincialem vel viceprovincialem et singulos Superiores domorum Provinciae vel Viceprovinciae, interesse debent insuper tot deputati ex unico collegio provinciali vel viceprovinciali, constanti ex omnibus sodalibus voce passiva fruuntibus in Provincia vel Viceprovincia, electi, quot sunt domus Provinciae vel Viceprovinciae canonice erectae, additis uno deputato pro vicenis quinque (= 25) sodalibus voce activa fruuntibus, alioque pro reliqua eorum parte.

224. Si Assistens domus, iam electus in deputatum ad Conventum provincialem substituere debeat Superiorem impeditum, ipse Assistens substituatur ut deputatus.

225. Ut Conventus provincialis vel viceprovincialis diligenter praeparetur:

1° ex domibus nostris, confratres, vel singuli vel omnes adunati in consilio, sua desiderata mittere possunt ad Commissionem praeparatoriam provincialem vel viceprovincialem;

2° Commissio praeparatoria in ordinem adducta vota et desiderata confratrum mittit ad singulos Superiores domorum;

3° Superior domus, tempore et modo statutis, convocat Conventum domesticum ad tractanda desiderata et paranda proposita quae mittenda sunt Commissioni praeparatoriae provinciali vel viceprovinciali;

4° Commissio praeparatoria in ordinem adducta proposita singulorum Conventuum domesticorum notificat confratribus ut omnes, speciatim Superiores et delegati ea examinent ante Conventus provincialis vel viceprovincialis celebrationem.

226. Ut in electionibus deputatorum ad Conventum ex unico collegio provinciali vel viceprovinciali, constanti ex omnibus sodalibus voce passiva fruuntibus in Provincia vel Viceprovincia, omnia secundum ius et ordinem fiant:

1° Commissio praeparatoria determinat ad normam iuris numerum eligendorum, conficit elenchum sodalium qui voce passiva fruuntur, et non sunt membra Conventus ex officio, et mittit habentibus vocem activam simul cum normis latis pro conficiendis schedulis electionis;

2° tempore Conventus domestici unusquisque elector, modo secreto, indicat iuxta normas datas a Com-



missione praeparatoria nomina eorum quos ipse eligit; nomina quae superant numerum eligendorum, nulla sunt;

3° in Conventu domestico unusquisque deponit schedulam suam clausam; Superior cum secretario schedulas numeratas et collectas sigillo munit et Commissioni praeparatoriae provinciali vel viceprovinciali mittit;

4° Commissio praeparatoria provincialis vel viceprovincialis, tempore statuto, schedulis numeratis ac lectis, illos renuntiat deputatos, qui maiorem numerum suffragiorum obtinuerunt et, in casu paritatis, seniores vocatione ac aetate. Omnes alii qui sunt in elencho eorum qui suffragia obtinuerunt, sed extra numerum statutum deputatorum, sunt substituti, et secundum ordinem maioritatis suffragiorum, in casu necessitatis, substituunt deputatos.

227. Si sodales voce activa fruentes, iusta de causa a Superioribus probata, extra suam domum tempore Conventus domestici versantur, suffragium suum per epistolam, iuxta modum et tempus a Visitatore vel Vicevisitatore statutum, per se vel per alios mittere possunt.

228. Hora statuta legitime ad Conventum convocati de facto praesentes, post invocationem Spiritus Sancti et B. V. Mariae et exhortationem Visitoris vel Vicevisitoris, eliguntur ad plura suffragia, e congregatorum numero:

1° Secretarium, qui et primus scrutator erit, cuius est accurate describere acta, in fine Conventus subscribenda ab omnibus congregatis et ab ipso Secretario;

2° Assistentem Conventus, qui Praesidem adiuvet et si casus ferat, substituet (1);

3° si opportunum videatur Conventui, Commissionem centralem ad instar eiusdem Commissionis Conventus generalis.

229. His peractis, in altera sessione, secundum seriem confectam, agendum erit de negotiis quae respiciunt bonum Provinciae vel Viceprovinciae, ad normam Constitutionum, necnon de iis quae Provincia vel Viceprovincia proponere voluerit Conventui generali, aut Superiori

1 Art. 95, §§ 1, 2.

Generali; ad hoc afferentur Conventui proposita a congregatis discutienda atque probanda (1).

230. Post haec, die et hora statutis a Visitatore vel Vicevisitatore, omnes convocati convenient ad locum destinatum, et, praemissa S. Spiritus et B. V. Mariae invocatione, procedetur ad electionem ad plura absolute suffragia, iuxta modum de quo in art. 219 (2):

1° deputatorum ac substitutorum ad Conventum generalem;

2° membrorum Consilii pastoralis provincialis vel viceprovincialis.

231. Uti deputatus ad Conventum generalem et uti membrum Consilii pastoralis eligi potest quilibet e sacerdotibus Provinciae vel Viceprovinciae qui habet qualitates requisitas a Constitutionibus et Statutis (3).

232. Singulis schedulis publice numeratis ac lectis, Visitator proclamabit electos; schedulae a secretario comburentur (4).

233. Acta omnia, simul ac proposita probata et non probata, a secretario Conventus conscripta, subscribentur ab omnibus congregatis, incipiendo a Visitatore vel Vicevisitatore, cuius sigillo munientur (5).

234. Quibus peractis, gratiis Deo relatis, Visitator vel Vicevisitator finem Conventus declarabit (6).

235. § 1. Exemplar omnium actuum Conventus provincialis vel viceprovincialis exaratum a secretario et tum a Visitatore, tum ab ipso secretario subscriptum mittitur ad Superiorem Generalem.

§ 2. Proposita Conventui generali afferenda, et proposita ad Superiorem Generalem remittenda, in foliis distinctis, necnon instrumentum deputationis, turn a Visitatore vel Vicevisitatore turn a secretario Conventus subscripta consignabuntur primo deputato (7).

236. Conventui Viceprovinciae Visitator a quo Viceprovincia dependet potest assistere per se vel per delegatum. Si

1 Art. 96, § 1.

2 Art. 97; 83, §§ 1, 2, 3.

3 Art. 98.

4 Art. 99.

5 Art. 100, § 2.

6 Art. 100, § 1.

7 Art. 100, § 3.

ipse Visitator assistit, potest praeesse Conventui cum iure suffragii praeterquam in electionibus.

237. Viceprovincia ius habet assistendi Conventui Provinciae a qua dependet per Vicevisitatorem vel per delegatum; si ipse Vicevisitator assistit, ius habet suffragii, praeterquam in electionibus.

### **De Conventu Domestico**

238. Ad Conventum domesticum convocari possunt ad discutiendum etiam sodales habentes vocem activam fortuito praesentes, qui Conventui propriae domus interesse nequeunt; cum iure autem suffragii si sunt eiusdem Provinciae vel Viceprovinciae (1).

239. § 1. Tempore et loco designatis, omnibus convocatis praesentibus, qui ius habent Conventui interesse, post invocationem Sancti Spiritus et B. V. Mariae et exhortationem Superioris, Conventus secretarius eligitur unico scrutinio (2).

§ 2. Ille habeatur electus in secretarium, qui maiorem suffragiorum numerum tulerit. In casu paritatis, senior vocatione aut aetate habeatur (3)

240. His peractis, qui intersunt Conventui:

1° schedulam clausam cum nominibus eorum quos eligunt in deputatos ad Conventum provincialem vel viceprovincialem deponunt;

2° de iis quae domus proponere voluerit Conventui provinciali vel viceprovinciali necnon de iis quae Commissio praeparatoria Conventus provincialis vel viceprovincialis ad discussionem proposuit tractant et proposita deliberant.

241. § 1. Acta omnia a secretario conscripta, subscribentur ab omnibus congregatis incipiendo a Superiore et ipsius sigillo munitur et in archivo domus conservabuntur (4).

§ 2. Quibus peractis, gratiis Deo relatis, Conventus domesticus persolvitur (5).

242. Exemplar omnium actuum a Superiore et a secretario subscriptum, et sigillo ipsius Superioris munitum, mittitur ad Commissionem praeparatoriam Conventus provincialis vel viceprovincialis.

1 Art. 102, § 3.

2 Art. 103; 66, § 1.

3 Art. 104, § 2.

4 Art. 106, § 1.

5 Art. 106, § 2.

## De Regimine Rerum

### Normae generales de re oeconomica

243. Meminerint Administratores se non esse dominos sed dispensatores bonorum Communitatis et, proinde, diligenter agant ne eadem bona prodigant vel in usus a statu nostro alienos impendant (1).

244. § 1. Superior Generalis non potest expensas facere ultra summam a Conventu generali, vel, si rerum adiuncta mutata fuerint et necessitas urgeat, a Consilio generali definitam (2).

§ 2. Visitatores, Vicevisitatores et Superiores locales non possunt expensas facere ultra summam, pro unaquaque Provincia definitam a Visitatore et Vicevisitatore cum suo Consilio accedente approbatione Superioris Generalis (3).

245. Visitatores, Vicevisitatores et Superiores locales tantum possunt circa alienationes faciendas, quantum ipsis concesserit Superior Generalis cum consensu sui Consilii (4).

246. In precibus pro obtinenda licentia ad contrahenda debita vel obligationes, exprimi debent alia debita vel obligationes, quibus Congregatio, Provincia, Viceprovincia vel domus ad eum diem iam gravatur, secus obtenta venia invalida est (5).

247. Caveant Superiores, ne debita contrahenda permittant, nisi certo constet ex consuetis fontibus posse debiti

1 Reg. Com. II 11; Reg. Sup. Loc., n. 88.

2 Art 138, § 2.

3 Art. 138, § 1.

4 Art. 136, § 3.

5 Art. 137, § 1.

foenus solvi, et intra tempus non nimis longum per legitimam amortizationem reddi summam capitalem.

248. Ex pecunia soluta a qualibet Provincia iuxta taxam quotannis a Superiore Generali determinandam et ab aliis fontibus proveniente, constituitur fundus generalis ex quo providetur sustentationi Curiae generalitiae, et cuius sumptibus sublevantur pauperiores Provinciae, promoventur nostrae causae beatificationis et canonizationis et solvuntur alia onera generalia Congregationis (1).

249. § 1. Ex domorum annua taxatione et residuis, ex donationibus et diversis redditibus bonorum Provinciae vel Viceprovinciae, constituenda est arca centralis provincialis vel viceprovincialis.

§ 2. Haec pecunia administranda et distribuenda est a Visitatore vel Vicevisitatore cum suo Consilio, per Oeconomum provincialem vel viceprovincialem, tum ad solvendas expensas generales Provinciae vel Viceprovinciae et formationis nostrorum, tum ad opera evangelizationis et caritatis adiuvanda, tum ad domorum pauperum sustentationem et alia similia spectantia ad commune Provinciae vel Viceprovinciae bonum (2).

250. Deposita, quae nobis committantur ab externis, non licet accipere sine licentia Superioris; nemo autem sine explicita permissione personae deponentis ut bonum inde opus foveatur, et sine praevia licentia scriptis data a Visitatore, potest operationes fructiferas facere (3).

251. § 1. Superiores maxima cum prudentia agent in acceptatione piarum foundationum quarum obligationes infra: diuturnum tempus adimpleri debent.

§ 2. Legata ad Missas perpetuo celebrandas ne acceptent Superiores neve eorum acceptationem permittant nisi in clausulis ratio habeatur de mutatione valoris cui pecunia subest secundum diversitatem temporis et loci, exigendo mutationes correspondentes; omnia fiant cum approbatione Visitoris.

§ 3. Liber specialis, in quo et onera et solutio onerum piarum foundationum describantur, a Superiore adhibea-

1 DCG 36.

2 DCG 37.

3 DCG 40.

tur et in visitatione canonica Visitatori vel Vicevisitatori, inspiciendus subiciatur, salva norma iuris communis.

§ 4. Pecunia, cui onera Missarum aut alia onera adnexa sunt, nequit expendi, antequam oneribus satisfactum sit.

# **INDICES**

# CONSTITUTIONES CONGREGATIONIS MISSIONIS

## Index Generalis

Art.	Pag.
RR. DD. Superioris Generalis Epistola.....	5
Commissionis Specialis Prooemium.....	7
Compendiorum ac Siglorum Tabula.....	8
<b>1- 5 DE CONGREGATIONE MISSIONIS IN ECCLESIA.</b>	<b>11-13</b>
1 - (Participatio Congregationis Missionis salvificae missionis Ecclesiae).....	11
2 - (De Natura Congregationis Missionis).....	12
3 - (De Fine Congregationis Missionis).....	12
4 - (De Ministeriis Congregationis Missionis).....	13
5 - (De Spiritu Congregationis Missionis).....	13
<b>6- 41 DE VITA CONSECRATA IN CONGREGATIONE MISSIONIS.....</b>	<b>14-24</b>
6-9 - De vocatione ad sanctitatem.....	14-15
10-13 - De professione Consiliorum Evangelicorum...	15-16
14-17 - De professione in Congregatione Missionis...	17
18-23 - De Castitate.....	17-19
24-33 - De Paupertate.....	19-22
34-40 - De Obedientia.....	22-24
41 - De Servitio Pauperum.....	24



Art.	Pag.
42- 57 DE VITA SPIRITUALI IN CONGREGATIONE MISSIONIS.....	25-33
42- 48 - Principia generalia.....	25-28
49- 51 - De vita sacramentali.....	28-30
52 - De celebratione Laudis Dei in Officio divino...	30
53 - De Verbi Dei lectione et meditatione.....	30
54 - De aliis pietatis exercitiis.....	31
55 - De exercitio virtutum.....	31
56 - De oratione et actuositate coniungendis.....	31-32
57 - De harmonica unitate in vita vincentiana efformanda.....	32-33
58-73 DE VITA COMMUNI IN CONGREGATIONE MISSIONIS.....	34-40
58-60 - Principia generalia.....	34-36
61-73 - De praecipuis obligationibus vitae communis...	36-40
74-118 DE VITA APOSTOLICA IN CONGREGATIONE MISSIONIS.....	41-55
74-89 - Principia generalia ad Apostolatu.....	41-48
90-95 - De Missionibus ad populum.....	48-49
96-98 - De Missionibus ad gentes.....	49-50
99-103 - De Ministeriis erga Clerum.....	50-52
104-106 - De Paroeciis.....	52-53
107-109 - De Ministeriis erga Filias Caritatis.....	53
110-113 - De Operibus Educationis.....	53-54
114-116 - De Apostolatu Laicorum relate ad Congr. Missionis.....	54-55
117-118 - De aliis Ministeriis.....	55
119-177 DE SODALIBUS CONGREGATIONIS MISSIONIS.	56-74
119-122 - De Sodalibus in genere.....	56-57
123-135 - De Sodalium formatione.....	57-62
136-140 - De Vocationibus promovendis.....	63

Art.	Pag.
141-152 - De Seminario Interno.....	63-66
153-170 - De Scholasticatu.....	66-73
153-156 - De natura et fine.....	66-68
157 - De vita spirituali.....	68-69
158-161 - De formatione scientifica.....	69-70
162-166 - De formatione pastorali.....	70-72
167 - De Directore ceterisque Moderatoribus.....	72
168-169 - De Praefecto studiorum deque Professoribus.	72-73
170 - De admissione ad Ordines.....	73
171-173 - De continuo profectu Sodalium.....	73-74
174-177 - De egressu e Congregatione.....	74
 178-275 DE REGIMINE CONGREGATIONIS.....	 75-94
178-181 - De principiis generalibus.....	75-76
182-183 - De regimine generali.....	76
184-186 - De Provinciis et Viceprovinciis.....	76-77
187-190 - De Domibus.....	77-78
191-196 - De Officiis in Congregatione:	
De Superioribus in genere.....	78-79
197-220 - De Officiis in Curia generali.....	79-83
197-202 - De Superiore Generali.....	79-80
203-206 - De Vicario generali.....	80-81
207-212 - De Assistentibus generalibus.....	81-82
213 - De Admonitore Superioris Generalis.....	82
214-216 - De Secretario generali Congregationis.....	82
217-218 - De Oecono generali.....	82-83
219-220 - De Procuratore generali apud Sanctam Sedem...	83
221-231 - De Officiis in administratione provinciali.....	83-85
221-225 - De Visitoribus deque Vicevisitoribus...	83-84
226 - De Assistente Visitoris.....	84
227 - De Admonitore Visitoris.....	84
228-229 - De Consilio provinciali.....	85
230-231 - De Oecono provinciali.....	85
232-238 - De Officiis in administratione locali.....	85-86
232-234 - De Superioribus.....	85-86
235-238 - De Assistente, Consultoribus, Admonitore et Oecono.....	 86

Art.	Pag.
239-242 - De Confessariis.....	86-87
243-244 - De Moderatore provinciali educationis.....	87-88
245-247 - De Professoribus.....	88
248-270 - De Conventibus Congregationis.....	88-93
248-254 - Normae generales.....	88-90
255-263 - De Conventu generali.....	90-92
264-268 - De Conventu provinciali et viceprovinciali...	92-93
269-270 - De Conventu domestico.....	93
271-275 - De Coetibus consultivis.....	93-94
272 - De Consilio extraordinário apud Curiam generalem...	93-94
273 - De Coetu Provinciarum.....	94
274 - De Consilio pastorali provinciali et viceprovinciali.....	94
275 - De Consilio domestico omnium Confratrum.	94
276-282 DE REGIMINE RERUM.....	95-97
276-282 - Normae generales de re oeconomica.....	95-97

# STATUTA CONGREGATIONIS MISSIONS

## Index Generalis

Art.	Pag.
1- 41 DE PROFESSIONE.....	101-108
6- 10 - De Castitate.....	102
11-29 - De Paupertate.....	102-107
11-13 - Quenam sint bona Communitatis, quanam propria Sodalium.....	102-104
14-16 - Circa bona immobilia.....	104-105
17-19 - Circa bona mobilia.....	105
20-22 - Pecunia.....	105-106
23-25 - Redditus.....	106
26-29 - De normis Superiorum in materia paupertatis...	106-107
30-37 - De Obedientia.....	107
38-41 - De Servitio Pauperum.....	108
 42- 57 DE VITA SPIRITUALI.....	 109-117
43- 44 - De Eucharistia participanda.....	109-110
45 - De cultu Mysterii Eucharistici extra Missam...	110
46 - De Sacramento Poenitentiae.....	110

Art.	Pag.
47 - De celebratione Laudis Dei in Officio Divino...	110-111
48 - De Oratione mentali.....	111-112
49 - De Examine conscientiae.....	112
50 - De Lectione spirituali.....	112
51 - De Exercitiis spiritualibus.....	112-113
52 - De Directione spirituali.....	113-114
53 - De Collationibus spiritualibus.....	114
54 - De communi exercitio humilitatis.....	114-115
55 - De Consecratione Congregationis ministerio pauperum, quotannis renovanda.....	115
56 - De praxi poenitentiali in Congregatione Missionis.....	115-116
57 - De communione cum Confratribus defunctis...	116-117
 58-69 DE VITA COMMUNI IN CONGREGATIONE MISSIONIS.....	 118-120
 70-100 DE VITA APOSTOLICA IN CONGREGATIONE MISSIONIS.....	 121-126
70-79 - De Missionibus ad Populum Christianum.....	121-122
80-89 - De Missionibus ad Gentes.....	122-124
90-93 - De Ministeriis erga Clerum.....	124
94-99 - De Paroeciis.....	125-126
100 - De Ministeriis erga Filias Caritatis.....	126
 101-142 DE SODALIBUS CONGREGATIONIS MISSIONIS.	 127-135
101-117 - De Sodalibus in genere.....	127-130
101-103 - De iuribus Sodalium Congregationis Missionis....	127-128

Art.	Pag.
104-109 – De obligationibus Sodalium.....	128-129
110-117 – De adscriptione Sodalium.....	129-130
118-122 – De Vocationibus promovendis.....	130-131
123-131 – De Seminario Interno.....	131-133
132-140 – De Scholasticatu.....	133-134
141-142 – De egressu e Congregatione.....	134-135
 143-242 DE REGIMINE CONGREGATIONIS.....	 136-161
143-144 – De principiis generalibus ad regimen Congregationis Missionis spectantibus: De praecedentia.	136-137
145-149 - De structuris Congregationis.....	137
145 – De Secretariatu operum.....	137
146-149 – De Provinciis et Viceprovinciis.....	137
150-165 – De officiis in Curia Generali.....	138-143
150-153 – De Superiore Generali.....	138-139
154-156 – De Vicario generali.....	139-140
157-158 – De Assistentibus generalibus.....	140-141
159 – De Admonitore Superioris Generalis.....	141
160 – De Secretario generali.....	141-142
161 – De Oecono generali.....	142
162-165 – De Procuratore generali apud Sanctam Sedem	142-143
166-175 – De Officiis in administratione provinciali.....	143-146
166-170 – De Visitoribus deque Vicevisitoribus...	143-145
171 – De Assistente Visitoris.....	145-146
172 – De Admonitore Visitoris.....	146
173-174 – De Consilio provinciali.....	146
175 – De Oecono provinciali.....	146
 176-183 – De officiis in administratione locali.....	 147-149
176-177 – De Superioribus.....	147-148
178-183 – De Assistente, Consultoribus, Admonitore et Oecono.....	148-149

Art.	Pag.
184-186 - De Moderatore provinciali educationis	
187-192 - De Professoribus ... ..	149-150
193-242 - De Conventibus Congregationis ... ..	150-161
193-200       Normae generales ... ..	150-152
201-220       De Conventu generali ... ..	152-157
221-237       De Conventu provinciali et viceprovinciali ...	157-161
238-242 - De Conventu domestico ... ..	161
243-251 DE REGIMINE RERUM ... ..	162-164
243-251 - Normae generales de re oeconomica ...	162-164

**TABULA CONCORDANTIAE  
inter  
CONSTITUTIONES et STATUTA**

Constitutiones	Statuta
10- 14	1
15	2
16- 17	3-5
18- 20	6
21- 22	7- 10
26- 28	11
29- 30	12- 13
31	14- 16
32	17- 25
24- 33	26- 29
34- 35	30
36- 37	31- 33
38- 39	34
40	35- 37
41	38- 41
42- 48	42
49	43
50	44- 45
51	46
52	47
53	48
54- 57	49- 57
58- 59	58
60	59
61- 73	60- 69
90	70
91	71
92- 93	72
94	73, 75
95	74, 76- 79
96	80- 83
97- 98	84- 89
99	90
100	91
101-103	92- 93
104	94- 95
105	96- 97
106	98- 99
107-109	100
119-122	101-117
136-140	118-122
141	123
142-143	124
144	125



147-148	126-128
149-151	129
152	130-131
155	135
156	134
157	132, § 3
158-161	136-137
160	140
162-166	138
167	132, 139
168-169	139
174-175	141
177	142
178-181	143-144
182-183	145
184	146
185	147-148
186	149
197-199	150, 152
200	151
201	153
202	156
203	154
204	155-156
205	219
206, cf. 212	
207, 210	158
208-209	157
209	219
213	159
214	219
215, cf. 211	
216	160
217	151, 5°
218	161
219	151, 5°
220	162-165
221	166
222	167
223	151, 5°, 168
224	151, 5°, 169
225	148, 170
226	171
227	172
228	151, 5°, 173
229	174
230	151, 6°
231	175
232-233	151, 5°, 176
234	177
235-238	178-183

236	178-180
237	181
238	183
243	184-185
244	186
245-246	187
247	188-192
249	193
250	193, § 2-194
251-254	195-200
255-263	201-220
255, 1°	214-219
255, 2°	201, 203-212
256	213, § 2
258	220
262	202
264-265	221-237
266	221, § 1
267	223-224
267	236-237
268	230-234
269-270	238-242
276-282	243-251

Scanned, J. Rybolt, CM  
05-2006